Gasse, Horstius
De Lycophrone mythographo.

DE
LYCOPHRONE MYTHOGRAPHO

SCRIPSIT

HORSTIUS GASSE.

DE
LYCOPHRONE MYTHOGRAPHO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

HORSTIUS GASSE
DRESDENSIS.

LIPSIAE
TYPIS AUGUSTI HOFFMANNI
MCMX.

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

BETHE ET LIPSIUS

LIPSIAE D. III. M. DEC. MCMX.

PROCANCELLARIO
ROHN.

Erico Bethe

sacrum.

Argumenti tabula

Sigla

RLM	Roschers Lexikon der griechischen und römischen Mythologie.
PW	Pauly-Wissowa, Realencyclopädie.
EGF	Epicorum Graecorum fragmenta coll. Kinkel.
TGF	Tragicorum Graecorum fragmenta rec. Nauck.
Apollod. E	Epitoma Vaticana ex Apollodori bibliotheca ed. Rich. Wagner. Lips 1891.
„ S	Fragmenta Sabbaitica a Wagnero in bibliothecam recepta.
P	Procli excerpta bibliothecae a Wagnero addita (inde a p. 238).
Welcker EC	der epische Cyclus.
„ GT	die griechischen Tragödien.
Robert BL	Bild und Lied; Kiessl.-Wil., Phil. Unters. 5.
Wilamowitz HU	Homerische Untersuchungen: Kiessl.-Wil., Ph. U. 7.

Ad scholia conferas siglorum tabulam Scheeri (p. LXI).

Callimacheum illud *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδει* iam antiquos ad Lycophronem quoque Alexandrae auctorem vere doctum rettulisse apparet e scholiis veteribus (ed. Scheer II. LXIII sq.). Nostrorum quoque temporum viri docti qui illi poemati accuratius studuerunt maxime operam dederunt, ut eius fontes quam plurimum detegerent. Imprimis Holzinger et Ciaceri (la Alessandra di Licofrone; testo, traduzione e commento Catania 1901) novissimi editores et commentatores Alexandrae eos locos colligere conati ad quos Lycophro in versibus scribendis spectasse videretur, verba ac sententias permultorum scriptorum adnotaverunt. Iam antea post Klausen et Müllenhoff P. Günther (de ea quae inter Timaeum et Lycophronem intercedit ratione diss. Lips. 1889) et Geffcken (Timaios Geogr. d. Westens 1892. Kießl.-Wil., Phil. U. 13) unius auctoris vestigia sequentes e Lycophronis carmine ipso haud dubie ostenderant poetam Timaeo multa debere (idque e materiae ratione ipsa). Holzinger (p. 36 sq. praef.) vero etiamsi illis assensus est, tamen quot ac quam varias omnium temporum fabulas poeta attulisset, recte respiciens sibi persuasit Lycophronem memoria tantum confisum Alexandram composuisse. Quam sententiam explosit Walter in egregia dissertatione 'de Lycophrone Homeri imitatore' (Basil. 1903) novam fontes eruendi rationem instituens. Nam 'dispiciendum primum esse' docet 'quantum omnino et quanta Lycophro fere singulis auctoribus debeat, quantopere fontes soleat contaminare, quoad ad orationem conformandam valuerit poetae consilium vaticinii Cassandrae carmine exprimendi'. Quam ob rem unum Lycophronis fontem quem integrum legimus cum iis Alexandrae partibus quae ad hunc attinent diligentissime comparat. Qua ex inquisitione efficitur Lycophronem maiores ac continuas Alexandrae partes ex Iliade et Odyssea accuratissime transtulisse neque narrationem ipsam ullo modo mutavisse, ut Homerum in manibus tenuisse necessario censendus sit. Simul autem rationem Lycophroneam detexit harum Alexandrae partium

componendarum: ex Odyssea et Iliade narrationes principales poeta hausisse et in harum tenorem quasi in filum res e quibuslibet fontibus captas intexuisse reperitur. Haec Walteriana non omnibus sunt probata neque recte percepta (cf. Rev. critique 1904 I 232). Itaque iam breviter complectamur qua componendi ratione Lycophro in illis partibus (249—306; 648—792) usus sit.

In utraque parte argumentum principale quoddam exstat ex uno tantum fonte haustum. Ex quo omnes singulae res ad illam narrationem principalem pertinentes quas poeta profert fluxerunt. Sed ea quae ille fons praebet Lycophro interpretatur aut ita, ut res varie intellegi possint, aut ita, ut legenti Cassandram illam Troianam haec dicere ostendat. In hanc narrationem pro hominum nominibus synonyma vel alia quae ad fabulas eorum proprias pertinent imponit. Comparationibus quamquam non e fonte principali haustis, sed plerumque in illo indicatis aut e narratione qualibet illo loco expositis simillima sumptis — certe non sibi propriis argumentum ornat et occultat. Quaedam etiam ut explanet res vel vaticinii Cassandrei causa, quaedam coniungendi vel interrumpendi gratia adicit.

Utrumque argumentum ex Homero haustum in binas partes dividitur narrationibus aliunde petitis quarum alteram (688—737) poeta Timaeo, alteram (271—280) fonti ignoto (Parvae Iliadi? Walter p. 57) debet. Sollerter autem eam partem quae e Timaeo pendet cum Homerica antecedente ita coniungit, ut totus locus quasi appendix ad Necyiam adiuncta esse videatur. Narrationibus enim inter se in v. 688 pronomine relativo *ὅθεν* copulatis Lycophro transitum ex Homero ad Timaeum astute velat. Immo si Odysseam non teneres integram, ullis vestigiis vix te esse cogniturum credo Lycophronem ab altero ad alterum auctorem transire nisi forte e repetitionibus ac discrepantiis (cf. v. 670 sq. cum v. 712 sq.). Haec mihi videntur esse maximi momenti ad fontes eruendos: minime enim iis carminis partibus quibus fontis mutati indicia non reperiantur poetam totum argumentum uni tantum scriptori debere existimandum est; sed singula argumenta sunt partienda ac singulae fabulae separatim tractandae.

Poeta ut ab altera carminis parte ad alteram transeat, generatim loquitur fabulas iterum breviter amplexus (249—257). Similiter prooemia et epilogos fingit (298—306; 648—658). Accedunt appendices (283—297, 779—788) quibus modo idem, modo alius

fons subest atque argumentis ad quae annexae sunt. Uno tenore uberrima narratio progreditur: alienas fabulas poeta ita tantum adicit, ut his res aut homines significet.

Cunctis ex his iamiam fructum capiamus: secundum componendi leges Lycophroneas a Waltero sagaciter indagatas primum totius poematis argumentum principale eruamus.

§ 2

Totum carmen nuntii oratio est scilicet Cassandrae custodis qui Priamo vaticinia die qua Paris in Graeciam proficiscitur dicta verbotenus affert. Itaque prooemium (1—30) et epilogus (1461—1474) nuntii sententiis constant quibus Cassandrae oratio circumcluditur. His in partibus Lycophro eodem obscuro dicendi genere utitur atque in Cassandrae vaticiniis ipsis (sic Holzinger p. 27 praef.: aliter Spiro Herm. XXIII p. 194 sq.).[1])

Versu 31 oratio Cassandrae incohatur. Ac primum quidem (31—85) vaticinatur Troiam iterum deletum iri Neoptolemi[2]) manibus, Pelopis reliquiis, Herculis sagittis. Haec Oenonam (ss[3]), quae Corythum filium Graecis ducem, patriae proditorem, miserit, esse protracturam Cebrenis patris (T) obiurgationibus inflammatam et adulterio et Helenae nuptiis. Hoc argumentum (52—60) miserationibus Troiae (31—32, 69—73) est inclusum. Poeta ut hanc partem compleat, fabulas alienas inicit (Herculis 33—51, Oenonae 61—68, Dardani 73—85).

Sequitur earum rerum narratio quae bello Troiano antecedunt (86—248) orsa ex his (86—89): Paris auctor incendii[3]) navibus properabit ad rapiendam Helenam. Iter in Laconiam faciet, raptor, non pastor qui in bubilium patriorum sordibus pedes ponat, qualis de trium dearum pulchritudine iudicaverit (90—93)[4]). Navi a Phereclo constructa in sinum Laconicum vectus novem navibus accedet (94—101). Helena eo tempore, quo in litore victimas Nymphis et Leucotheae immolabit, rapta ille e sinu Laconico avehetur (102—109).[5]) Nuptiis in Helenae insula quae dicitur (sic. Holz., ?) celebratis sequente die amoris gaudiis noniam delectabitur (110—114). Nam Proteus iustitiae patronus Paridem vehementer increpans Helenam a desiderante auferet (115—137).[6]) Quam ob rem frustra fidibus canet ac flens in patriam redibit falsam Helenae speciem amplexus

(137—179).[7]) Graecis sanguinis avidis e sedibus domesticis excitatis iter retro flectet (180—182).[8]) Iphigenia oblata, sed vice eius cerva sacrificata Graeci iter in Troadem ingredientur (183—201).

Graeci in anguis ara, qui cum matre passerculos absumet, altero iure iurando dato remos apprehendent Baccho, priorum iniuriarum vindici, acclamantes cui Agamemno Delphis arcana sacrificia faciet. Huic sacrificiorum gratiam referens Bacchus Telephi pedem pampino implicabit (200—215).[9])

Graecorum classis ad Troiam versus mari feretur (216—228) et ad insulam Tenedum appropinquabit (229—231). Tenes et Leuco-(Hemi-)thea simul cum Cygno patre silice duro quem Achilles bonum initium sumens fecerit tacto cadent. Simul cum his Mnemon qui Thetidis matris monitus non enuntiaverit pectore gladio percusso praeceps morietur (232—242).[10]) Postquam Achilles in extremum litus arenosum vehementissime desiluerit ac fontem excitaverit, solum Troianum Graecos feret (243—248).[11])

Tota terra Troiana caede incendioque pervastabitur (249—257).[12])

Achilles primum urbem iterum iterumque circumibit, deinde Hectorem aggredietur, tum interficiet[13]), postremo occisi pretium pensitando statutum accipiet (260—270: 258—306).[14])

Troilus Achillem incendet, per breve tempus amoris inane eum vinculis quae effugere non poterit capiet, ei in amore non respondebit, capite praeciso Apollinis aram inquinabit (307—313).[15])

Laodica dum proquinquas servitii acerbitates ante oculos habebit, prope Trois lucum funditus terrae patriae hiatu haurietur (316—322).[16])

Polyxenam Neoptolemus ad nuptias, immolationem, ducet ac sacrum perpetrabit: eius collo vasi profundo impresso Myrmidonibus exposcentibus victimam primam caesam mactabit (323—329).[17])

Hecuba captiva senex in Chersoneso dum canis glauci speciem induet lapidibus a Thracum probris et imprecationibus excitatorum (330—334) manibus missis occultabitur.[18])

Priamus in Iovis ara occisus intimam aram cirris canis ornabit, postquam Antenor patriae venditor seris ab equi ventre remotis facem exitiosam collucentem fecerit et insidias damnosas patefecerit ex quo duces Graecorum desiluerint, Sinon autem igne malo Graecis signum dederit in Tenedum et Calydnas versus navibus vectis (335—347).[19])

Ipsa Cassandra integra vates Minervae opem implorabit et a robustis Aiacis bracchiis ad lectum rapietur. Minerva oculis ad tecti trabes allevatis exercitui Graecorum suscensebit (348—364).[20]

Unius Aiacis ob noxam totus populus Graecus cenotaphia sescentorum deplorabit (365—372).[21]

Dum Nauplius ut Graecos ulciscatur faces noctu fulgentes faciet ebriorum dux pervigil cum arte assidens, scopuli cautesque Euboeae ad orientem spectantis mortuorum gemitum cum trabibus semirutis aggestorum, litoris pulsi strepitum quem propter vortices effugi non poterit, calvarias cautibus fractas quae fulmine tenebris icientur, audient (373—386).[22]

Aiacem naufragum plane nudum inter Teni et Myconi scopulos iactatum fluctus per fretum feret. Membra aquis stillantia in cautibus Gyraeis siccabit, stulte vanis verbis se ostentabit. Neptuni ultoris fuscina ictus de scopulo detrudetur, iterum aquas hauriet, fluctuabit. Frigidum corpus ad litus aggestum sol torrebit. Thetis misericordia impulsa in musco et algis eum sepeliet, sepulcrum Tremon nominatum insulae Delo vicinum ad mare versus situm erit (387—407).[23]

Alii peregrini in externa terra sepelientur (408—416).[24]

Phoenix in Dolopum fines se recipiens senex morietur et in Eione oppido in Strymone flumine sito sepelietur (417—423).[25]

Prope Colophonem oppidum Calchas, qui Mopso aemulo in ficorum litem compulso ipse porcae fetus ratione deceptus soporem aeternum dormiet, Idomeneus, Sthenelus acquiescent (424—438).[26]

Mopsus et Amphilochus prope Pyrami fluminis os mutuis vulneribus sub Megarsi turribus occident. Hoc promunturium in medio sepulcrorum ponetur ita, ut alter mortuus alterius tumulum cernere non possit (439—446).[27]

In insula Cypro Teucrus Telamonis patris conviciis ut Aiacis fratris parricida, nothus filius, noxa affinium, e patria Salamine pulsus, Agapenor venator qui primus metalla exercebit, Acamas, Cepheus, qui agmen Laconicum, Praxander, qui agmen Buraeum ducet, domicilia constituent (447—591).[28]

Diomedes Argyrippa oppidum quod Dauni possidebunt prope Phylamum (?) flumen Ausonium condet comitibus in aves mutatis. In lapidibus Troianis, saburra, e nave in terram Ausoniam eiectis tamquam colossus consistet. Alaeni fratris iudicio fraudatus in campos

hoc exsecrabitur (quod evadet): Utinam campi nemini fructus reddant nisi Aetolo viro. Columnis, quae nulla re suo loco moveri poterint, terram includet. Summus deus a multis qui litora maris Jonici habitabunt nominabitur (592—632).[29])

Boeoti in insulas Balearicas depulsi mastrucati vitam pedibus nudis sine toga colent tribus fundis bimembribus armati (633—647).

Omnes Ulixis comites orcus recipiet maxime variis casibus exstinctos uno tantum deletorum nuntio relicto Ulixe ipso (648—658).[30]) Cyclopis unum oculum in media fronte habentis speluncam videbit carne vescenti scyphum meri manu afferens bellariorum poculum (659—661). Laestrygones, qui omnibus navibus in portus circulo deletis (?) viros acutis instrumentis percutient, videbit (662—672). Circe veneno inter hordea mixto Ulixis socios in sues mutabit, ipse herba μῶλυ vescens a Mercurio servabitur (673—680).[31]) Ad inferos veniet, sanguinem calidum animis in foveam insperget, e Tiresia exquiret, mussitata inferorum audiet (681—687). Unde ad insulam Pithecusam, ad Baias, ad Cimmerios, ad lacum Acherusium, ad Ossam, ad viam Herculaneam, ad lacum Avernum, ad Pyriphlegeton, ad Polydegmonem, ad Ledaeonem (?), ad Stygem, ad Plutonium veniet, e cuius columna galeam Plutoni et Proserpinae dedicatam suspendet (688—711). Tres Sirenes Melpomenae modos imitatas necabit quae motu voluntario a specula celsa in mare Tyrrhenum alis se praecipitabunt (712—737).[32]) Ventis in culleum scorteum inclusis[33]) tempestate repulsus fulmine ustulabitur in capri fici frondibus assidens (738—743). Per breve tempus Calypsus coniugio delectatus ratem fortuitam quae numquam refugium capiet conscendere et tabulatum a se ipso ad mediam ratem frustra clavis affixum regere audebit (744—748)). A quo Neptunus eum cum antemnis et medianis impeditum armamentis in mare iaciet (749—753).[34]) Pervigil in omnibus maris angulis iactabitur. Alia procella aliam excipiens eum rotabit. Aegerrime Leucotheae frontis rediuncula eum servabit pectore et manibus laceratis quibus scopulos carnem tamquam degustantes prehendens acutis saxorum dentibus laniabitur (753—761). In insulam Corcyram profectus nudus, egens, iniuriarum garrulus, fabulas fingens lamentationem latrabit (762—767).[35]) Ad nauticam undarum tutelam et Neriti cacumen veniet. Res familiares susquedeque funditus vastas a turpibus procis inveniet. Penelopa domum inanem reddet Ulixis opes cenis effundens (768—773). Ipse familiam minis odiosis uti placide patietur. Pugnorum quoque ictus

et ossis iactum aequo animo feret (774—788)[36]. Ulixes postquam ubique fluctuatus possessionem procorum cenis deminutam a Penelopa recuperaverit, veterrimus e portu remis cedet ac pergrandis natu in insula Ithaca morietur (789—794). Xiphiae acies lumbis percussis eum interficiet. Telegonus filius parricida nominabitur (795—798).[37] Aetoli et Epirotes Ulixem vatem mortuum coronis colent (799—804). Perge (?) mons Etruscus eum in oppido Cortona combustum recipiet postquam Telemachi filii et Circes coniugis fata gemuerit: Telemachus enim Circe a se, maritimo, necata ipse a Cassiphona sorore interficietur (805—811, 812—819).[38])

Menelaus Helenam vestigans et rumores sequens primum Ciliciam videbit, deinde Cyprum, tum Eremborum terrae saxa eminentia, Phoeniciam, Aethiopiam, Aegyptum, postremo cubilia humi strata (Pharum Hom. δ 355) cum beluis male olentibus dormiens (820—851). Errans ad Japygos veniet et in Minervae templo donaria affiget, crateram Tamasseam, scutum corio consertum, Helenae calceamentum mole ad hiemem aptum. Veniet Sirin et in Lacinium. Herculis templum in insula Ilva situm, campos Sicanos, Gonusam (?), Conchae aquas (?), Drepanum flectet et Erycem veniet (852—876).[39])

Alios in litora delatos ad navium reliquias versus rictos ora et scopuli Libyci deflebunt. Cui litori aquilones Guneum cum nautis, Protthoum, Eurypylum impingent. Thessali ad scopulos elisi numquam non querentur quod sepultura solemnis deerit (877—908).[40])

Philoctetem fines Crotonienses et Crimisa oppidum recipiet. Achaei Italici eum necabunt Rhodiorum principum adiutorem qui aquilone pulsi in terra peregrina domicilia instituent. In oppido Macallis heroo super sepulcrum aedificato deus immortalis adorabitur (911—929).

Epeus in Metaponti et Lagariae regione habitabit et Minervae instrumenta dedicabit (930—950).

Alii errantes in insula Sicilia se collocabunt (951—977).

Multi in sinu Tarentino sedes constituent. Domiciliis in oppido Siri institutis Minervae iram eo ascendent, quod in deae templo Jones qui ante sedes tenebunt exstinguent. Qua ex causa (989—990) statua oculos sanguine carentes claudet, postquam primus flamen publicus, sacerdotis camillus, mortuus sanguine congelato aram maculaverit (978—992).

Alii montes Tylesios et Cocynthum promunturium (?) occupabunt Cletae imperio subito (993—1007).

Alii Terinae tristi errore fatigati se collocabunt (1008—1010).

Nireum et Thoantem aquilo in Libyam, auster in Epirum, ubi durum victum habebunt, pellet. Postremo terra Illyrica eos recipiet (1011—1026).[41])

Alii tempestate deiecti in insula Melita sedes collocabunt (1027—1033).

Elephenor in insula Othrono habitabit. Unde serpentium draconibus similium proelium terribile (?) fugiet et in oppidum Amantiam vehetur. Ad Atintanes appropinquabit et novum Thronium (?) condet (1034—1046).

Podalirii sepulcrum in terra Apulia situm erit (1047—1066). — Phocii tempestate deiecti Temessam pervenient (1067—1082). Locri Sardonii (?) sedes prope sinum Lametinum in terra Lucanica instituent (1083—1086).

Neque ii Graecorum duces qui tempore optato domum sint reversuri Jovi victimas votas caedent. Talibus rationibus Nauplius pacem domesticam tollens Palamedis morte iratus (1095—1098) eorum uxores res domesticas administrantes decipiet (1090—1098).[42])

Agamemno in lavacris vias inextricabiles laquei cervici exitiosi explorabit in reticulo implicatus et manibus impeditis suburas fimbriis ornatas quaeret. Media calva securi acuta icta sub alvei calidum tectum mergens tripodem et ahenum cerebro asperget. Anima eius Taenarum avolabit malo uxoris imperio domestico spectato. Cassandra gladio ferreo percussa iuxta alveum humi iacebit. Nam Clythaemnestra invida crudeliter ulciscens eius corpus ut adulterae, non servae dilacerabit et eius cervicem pedibus calcabit. Orestes patris necem indagans gladium in matris viscera sua manu configet (1099—1122).[43])

Agamemno a Spartiatis „Zeus" nominatus maximis honoribus onerabitur neque *Cassandrae* verecundia ac nomen oblivioni dabitur: Dauniorum principes atque ii qui oppidum Dardanum (?) habitabunt prope Salapiae litus ei aedes struent. Virgines Dauniae quae coniugium effugere velint sponsos reprehensione dignos spernentes Cassandrae simulacrum brachiis amplectentur sibi maximum coniugii praesidium impetrantes (1123—1140).

Contra multae mulieres e Cassandra dolorem capient quae

Aiacis stupratoris facinus perdiu deflentes in terram hostilem filias nuptiarum exsortes mittent. Omnes Locri poenas persolvent virginibus per mille annos sortium discriminibus senibus factis. Quibus peregrinis turpe sepulcrum in externo litore arenoso obveniet quod fluctibus eluetur[44]. illius Locridis primae missae quae de summo Tremonis monte se praecipitaverit membris sarmentis combustis ac cinere in mare disperso. Aliae noctu sicut moriturae in Troadem pervenient oculis in trames abditos conversis donec supplices Minervae templo se receperint. Quae templi pavimentum decorabunt. verrent, aqua aspergent civibus valde suscensis vitatis: omnes enim Troiani virginibus insidiabuntur quibuslibet instrumentis eas necare cupientes. Interfector vero secundum consultum non poena. sed laude fficietur (1141—1173).

Neque de *Hecuba* fama evanescet: Hecate eam canis specie mutatam sibi comitem sumet. Quae noctu homines latratu perterrebit quicunque Hecatae simulacrum neque facibus collucentibus colent neque sacrificiis placabunt. In Pachyno Siciliae promunturio Ulixes somniis commotus[45]) Hecubae cenotaphium sacrum manibus excitabit ac prope Helorum flumen in litore libamenta solvet Hecatae iram, cum primus mortiferum saxum iecerit, metuens (1174—1188).

Hector non frustra Jovi quidem plurimos primos genitos mactabit: ille Thebas qua urbe natus est eum ducet. Loco *μακάρων νῆσοι* nominato habitabit maximus heros. sagittarum exitiosarum adiutor: quo (in suam patriam) Thebani Apollinis praesagiis confisi eum e tumulo Ophryneo expromptum ut calamitatum belli vindicem ferent. Thebanorum principes eum libamentis divinum reddent (1189—1213).[46])

Idomenei tota domus funditus interibit. Nam Nauplius Leucum regni custodem agitans falsis rationibus ad odium adducet qui et Idomenei liberos et Medam uxorem et filiam sibi ab illo sponsam in templo occidet (1214—1225).[47])

Contra in posterum gentis Troianae gloriam nepotes illustrissimam reddent hastis coronis laureis ornatis terrae marisque summam imperii tenentes. Tam excellentem robure stirpem. Romulum Remumque. *Aeneas* relinquet. Qui primum Rhaecelum oppidum veniet et in terra Macedonica habitabit. Deinde in Etruria morabitur. ubi Ulixes Nanus. Tarchon. Thyrrhenus eorum arma iungent. In terra Italica mensam ciborum plenam ac postea a sociis esam conspicatus antiqui oraculi memor erit. In Aboriginum sedibus (per Latinorum

ac Samniorum agros) triginta arces secundum triginta fetus a sue editos condet quam a terra Troiana aveherit: eius ac fetuum statuam ex aere factam Lavinii statuet. In aedibus Minervae dedicatis Penates ponet quos cum patre sene uxori et liberis et ceteris opibus preciosisque rebus hereditate acceptis praeferet vestibus velans cum Graeci patriae res sortientes ei soli permittent ut carissimum eligens efferat ut donum. Itaque ab hostibus quoque maxime pius arbitratus salutarem progeniei rem publicam proeliantium clamoribus maxime celebratam constituet in Circeorum, Caietae, lacus Fucini (?), Cumarum regionibus' (1226 – 1280).[18]

Postrema vaticinii parte novum consilium Cassandra sequitur (1283—1290): quae fuerit, sit, sit futura inter Asiam et Europam ratio, disserit. Itaque primum Ionis raptui Europae raptum opponit (1291—1301), deinde Teucri adventum in Troadem (1302—1308) et Argonautarum expeditionem commemorat (1322—1340). Sequuntur fabulae Ili (? 1341—1345), Herculis (1346—1350), Thyrrheni (1351—1361), Paridis (1362—1368), Agamemnonis (1369—1373), Orestis (1374—1377), Nelei (1378—1387), Dorum (1388—1396), Midae (1397—1408), Xerxis (1412—1434), Alexandri Magni, T. Quincti Flaminini (1435—1450).[19]) Vaticinium epilogo finitur quo vates queritur, quod suis carminibus nemo fidem tribuat (1451—1460).

§ 3.

Ex argumento principali eruto apparet atque exstat, qua ratione Lycophro carmen disposuerit ac singulas partes composuerit. Nequaquam enim poetae consilium est fabulas quam plurimas ac inventu difficillimas permixte confundere: dispositionem si accuratius illud argumentum perspexeris, maxime esse perspicuam intelleges. Iam Holzinger in praef. p. 11 sq. singula Alexandrae capita edocuit. Cassandra enim haec vaticinatur:

Troiam deletum iri	v. 31— 85
ea quae bello Troiano antecedent	v. 86— 248
ea quae proximi vatis affines atque ipsa patientur	v. 249— 364
Graecorum fata qui Troiam everterint	v. 365—1280
Europae et Asiae rationes mutuae	v. 1281—1450

Vates igitur inde a proximis rebus usque ad ultimas pervenit. Atque eodem modo in erroribus canendis: primum eorum

fata qui tempestate peribunt (365—415), deinde eorum qui peregrini in terra externa sepelientur (416—1089), postremo eorum qui quamquam in patriam revertentur victimas votas Iovi non caedent (1090—1182) enarrat (in extremam gloriae Troianae aetate posterioris fabulas inserit). Et eodem fere modo in illa media parte 416—1089: primum errores in orientem (417—591), deinde Ulixis et Menelai in orientem et occidentem (648—876), postremo in occidentem (909—1089).

Minime vero poeta temporum ordinem curat. Prior enim expeditio Graeca post alteram memoratur, Troili fatum post Hectoris mortem; Aiacis deleti fabula antecedit navibus ad scopulos Caphareos fractis, Hecuba lapidibus obruta fatis Priami Cassandraeque. Graecorum duces errantes qui variis temporibus ad terram peregrinam deiciuntur, in una carminis parte componuntur. Item poeta quoniam ea quae bello Troiano antecedunt tradidit, singulis capitibus de Hectoris, Troili, Laodicae, Polyxenae, Hecubae, Priami, Cassandrae sorte refert. Neutiquam Lycophro *ἀκολουθίαν τῶν πραγμάτων* expetit, sed alterum illud consilium omnibus fere partibus sequitur: quam ob rem Holzinger (p. 19) qui poetam vaticinandi generis gratia temporum ordinem neglegere, quo magis Cassandrae oratio turbata conexu careat, ratus vituperat, ei infert iniuriam.

Immo poeta Cassandram inde a proximis rebus usque ad ultimas progredientem facit exitus vaticinii gratia. Holzinger vero illos extremos versus qui hoc propositum praebent (1435—1450) recte interpretari non potuit (praef. 51 sq., com. ad 1435), cum totum carmen illi Lycophroni tragico poetae adscriberet qui Ptolemaei Philadelphi temporibus floruit. Sed iam vetus scholiasta (ad 1226) ex iis Alexandrae versibus qui ad imperium Romanum attinent conclusit alium Lycophronem minorem aetate Alexandram scripsisse. Nostris temporibus primi Fox (Mus. Rhen. III 1829, 465) et Niebuhr (Mus. Rhen. I 1827, 108) praecipue in maritimo Romanorum imperio praedicto (1229) offenderunt. Contra Wilamowitzium cui illos historicos scrupulos evellere conato plerique assenserant (de Lyc. Alex. Gryph. 1883), nuper Beloch (Griech. Gesch. III 2, 478 sq.) non vana attulit; tum Skutsch (PW VI 1, 1184 sq.) Alexandrae auctorem necessario minorem esse putandum Euphorione ostendit.[50]) Quibus niso Sudhausio mea quidem sententia contigit, ut obscurissimum illum Alexandrae locum 1435—1450 recte interpretaretur: ultimis versibus Cassandra gloriam canit Titi Quincti Flaminini

Romani i. e. Troiani quem Graeci celebrabunt (*πρέσβιστος ἐν φίλοισιν ὑμνηθήσεται*); Flaminino auctore lites Asiae Europaeque mutuae desinunt: Flaminino Troiani ac Graeci illarum terrarum vicarii inter se reconciliantur. Quo praedicto vates repente praecidit: meminit enim suis vaticiniis neminem fidem tribuere. Ergo Alexandrae auctor Flamininum laudare vult, quam ob rem primum bellum Macedonicum Asiae Europaeque continuarum et mutuarum litium numero inserit. Hoc est Lycophronis proprium. Cum vero Flamininum immanium iniuriarum vindicem fingere velit quibus altera gens alteram affecit, illae necessario carmine ipso erant proponendae. Maximum detrimentum bellum Troianum paruerat: itaque poeta Cassandram immensa mala e bello Troiano orta vaticinantem inducit, itaque tamquam fastigium in medio carmine (648—819: antecedunt v. 647, sequuntur v. 655) Ulixis error positus est quo horribilior, terrorum plenior, diuturnior non reperitur. Primum videlicet patriae res quippe quae sibi maximae sint curae vates, Troiae affiniumque fata, canit, deinde quae quantaque hostes sint passuri exponit. In huius capitis postremam partem ii versus sunt inserti qui ad Cassandrae Hecubae Hectoris cultus et ad Aeneae progenieique gloriam attinent (cf. Holzinger p. 12). Quibus animus componitur ad sequentia: Flamininum Troianum virum maxima admiratione dignum videri poetae consilium est. Postremo tamquam maiorem circulum describens transit ad continua ac mutua Asiae Europaeque certamina: itaque necessario fere vaticinatio finem capit Flaminini memoria.

Alexandra igitur est carmen quo Flaminini laudes canuntur,[51]) magis poetae opus quam viri docti (ad haec cf. infra p. 51): gryphis blanditiae iucundiores fiunt. Et totum poema et singulae partes artificiose sunt compositae. Perspicue Lycophro singulas partes designat prooemiis, epilogis, transitibus insertis: versibus 1—30 respondent v. 1461—1474, prooemio 86—89 transitus 249—257, versibus 365—372 v. 408—415, toti loco 365—415 versus 1087—1089, prooemio 1090—1098 epilogus 1281—1282, versibus 1283—1290 v. 1450—1460. Poeta ut heroum errores in orientem complectatur (417—591), singularum narrationum initiis notat, quot Graecorum duces in regionem quandam perveniant (*τὸν μέν* 417, *τρισσοὶ* 424, *δοιοί* 439, *οἱ πέντε* 447). Contra eam partem (911—1089) qua errores in occidentem narrantur ita disponit, ut binorum ducum et Graecorum non accurate significatorum errores variet (911—949 Philoctetes, Epeus; 950—1008 *ἄλλοι, πολλοί, ἄλλοι, οἱ δ'*; 1011—1025

Nireus ac Thoas: 1026—1033 ἄλλοι; 1034—1066 Elephenor ac Podalirius: 1067—1089 *ναῦται, οἱ δ'*). Si argumentum principale diligentius perspexeris, sine dubio cognosces errores in orientem versos Lycophronem defecisse, fabulis autem heroum in occidentem profectorum poetam abundasse. Quam ob rem eam partem quae ad res Cyprias attinet (447—591) non potuit uberioribus illis argumentis opponere nisi refertam permultis fabulis aliunde petitis. Contra ea pars quae errores in occ. praebet admodum exilem habet narrationem atque uberiore loco caret. Ergo Lycophro singulas partes ita componere studet, ut altera alteri respondeat.

Paucos errores in orientem, permultos in occidentem cum in promptu haberet poeta, nonnullos ante errores in or. et in occ. (648—876) inserere coactus est. Sine dubio ad haec ut errores secundum regiones digererentur fabulae quae ad meridiem attinent (877—908) fuerunt aptissimae. At Lycophro errores in occidentem diremit ac legem cui universe obtemperavit hoc loco evertit: errores in orientem fabulae Dauniae et Balearicae sequuntur (592—647).

errores in orientem	417—591
errores in occidentem	592—647
errores in or. et in occ.	648—876
errores in meridiem	877—908
errores in occidentem	911—1089

Haud dubie elegantiae gratia hoc fecit. Secundum legem sibi ipsi statutam errores in or. et in occ. ita uno loco composuit, ut Menelai error fabulas Ulixeas consequatur. Quo fit, ut ii errores quibus maiores in hoc carmine non reperiuntur inter se coniuncti continuati sint. Contra propositi consilii gratia necesse fuit earum iniuriarum argumentum quibus ingentiores nemo toleravit, Ulixis sortis, tamquam Alexandrae cacumen ceteris narrationibus eleganter eximere. Quapropter poeta Menelai longo errori permultas fabulas quae ad unum pertinent Diomedem (592—632) opponit. Ut vero errores in or. et in occ. exstent atque emineant tanquam unum, illas narrationes non sic ponit, ut Diomedis errores fabulae Ulixeae, fabulas Ulixeas errores Menelai sequantur, sed inter locum Daunium ët Ulixeum paucos versus de Boeotis ad Baleares deiectis inserit. His Boeotis (*οἱ δ'* 633) Thessali ad Libyam depulsi (*ἄλλοι;* 877) respondent. Versu 911 novam partem initium capere dilucide apparet ex his interiectis:

Ἄλλην δ' ἐπ' ἄλλῃ κῆρα κινήσει θεός,
λυγρὴν πρὸ νόστου συμφορὰν δωρούμενος (909—910).

Complectamur quae cognoverimus. Lycophro etiam partem 417—1089 ita disponere conatus est, ut vates inde a proximis rebus usque ad ultimas progrediatur. Quae intelleguntur ex his:

errores in orientem (Daunia, Balearica)	417— 647 = 230
errores in or. et in occ.	648— 877 = 230
(Libyca), errores in occ.	878 1089 = 212.

At hac dispositione artificis consilia qui ut Flaminini gloriam augeret mutuas Troianorum Graecorumque iniurias (imprimis autem Graecorum ut carmen efficax esset ad Graecos) quam maximas fingebat, obscurata sunt. Quam ob rem illam legem non accurate persecutus Lycophro poeta ita disponit, ut singulae partes fere altera alteri respondeant: conferas tabulam p. 23.

Ut hanc dispositionem cum arte persequeretur, Lycophroni erat videndum, ne partes quaedam uberibus narrationibus carerent neve nimis multis fabulis onerarentur: quamquam haud dubie Iliadem, Parvam Iliadem, Ilii Persidem in promptu habuit, tamen ei non licuit belli Troiani, urbis deletae, singulorum Troianorum fabulas cum quadam ubertate exponere. Quam ob rem poeta solis paucis versibus (249—257) belli Troiani terrores describit ac de singulorum fatis brevissime refert.

Sed aliis Alexandrae partibus artis ac dispositionis quidem gratia permultis fabulis uberibusque argumentis opus erat. Ita poeta errores in orientem versos opponit fabularum a Timaeo traditarum nimis largae copiae quae ad occidentem attinent. At illorum argumenta (417—591) tenuia et angusta sunt. Velut in versibus 447—592 hoc tantum narratur, quinque Graecorum duces domicilia constituros esse in insula Cypro. Errores eorum ipsi non enarrantur; sed poeta ut hanc partem compleat, aut fabulas quibus ratio quaelibet cum duce memorato intercedit inicit (velut in eam partem qua Teucrus tractatur fabulas Aiacis necis voluntariae 454—561 et Hesionae 468—478, in eam qua Agapenor Ancaei 486—493) aut ad ducis cuiuspiam memoriam fabulas quae ad illius propinquos spectant et ad homines in his memoratos identidem alias adnectit (velut ad Acamantis memoriam Thesei, Muniti, Aethrae fabulas, ad Aethram Dioscurorum, ad Dioscuros Oenotroparum 495 sq.). Tantum

Ulixis error (ille maximus) 648—819
v. **172**

Graecorum errores: 365—1089

tempestate perditi 365—416, in or. —591, Diomedea —632, Balearica —647
283

Menelai errores 820—876, Libyca 877—908, in occ. 911—1089
268

Troia delebitur, Antehomerica, Troian. fata
334

Graeci qui miseri in patriam redeunt, Troianorum progenieique gloria, Asiae Europaeque lites mutuae
371

Prooemium 1—31
31

Exord. vaticinii 1450—60,
orationis 1461—74
25

igitur abest, ut Lycophro hoc loco uberem simplicemque narrationem praebeat, ut confugiat ad singulas res extrinsecus inter se conexas. Ergo errores in fonte quo hoc loco usus est non diligentius neque epico tenore proditi fuerunt, sed brevissime tantum notati. Itaque certum habeo illum fontem non fuisse carmen, sed solutae orationis librum. Similiter etiam de Phoenice, de Idomeneo Stheneloque, de Amphilocho et Mopso, de Thessalis (877—908) vix plura referuntur quam haec: quidam in quandam regionem perveniet vel quidam quodam loco sepelietur. Non fabulae sunt sed breves adnotationes: si singulae res adiciuntur, brevissime tractantur velut v. 426—430 aut v. 439—442. Num Lycophro ea parte qua uberioribus argumentis egeret, tam pauca eaque tam arte narrasset si fons plura fusius praebuisset? Qua ratione Ulixis errorem composuerit, memineris: iis partibus quas Homero debet permultas singulas res affert: eo loco quo e Timaei libro haurire coepit, ita pergit: Ulixes huc et illuc perveniet. Atque similiter ceteris locis quibus illum sequitur: Cassandra quoniam qua in regione dux quidam vel gentes quaedam essent habitaturae praedixit, fabulas inserit quae ad illum ducem vel ad illam regionem attinent velut versibus 592—632 qui ad Diomedem spectant. Etiam in narratione de Menelai errore nonnisi terrae in quas Atrides venit significantur; nihil fere accidit, Menelaus ipse facinora non conficit: aegerrime Lycophro argumenti egestatem quod fons praebuit velare studet. Quid? De Aeneae errore ipso Lycophro brevissimam relationem, sed aliarum de Aenea fabularum plenam componit (Diomedeis simillimam). Omnibus igitur his locis fons certo subest solutae orationis liber.

Alia est argumentorum ratio quibus Troianorum fata (atque urbis interitus) tractantur: poeta cum antea accuratissime ac copiosissime Homerum sequens Hectoris exitium (dignissimaque admiratione facinora) descripsit, inde a v. 307 Posthomerica ita refert, ut multas fabulas vere poeticas in paucos versus inferciat (307—407). Multa ac mira accidunt, sed haec brevissime tantum sunt notata, ornamenta desunt. Quibus e rebus coniciam comparata Lycophronis de Ulixe narratione poetam quamquam hoc loco poeticas fabulas attulit, tamen eas non e carminibus ipsis, sed per ambages e libro qui eas in angustissimum coactas praebuit hausisse. In Antehomericis (86—248) vera narratio raptim progrediens exstat, filum vero textum tenue est, argumentum ubertate caret. Etiam hoc igitur loco Lycophro solutae orationis librum sequi videtur quo Ante-

homerica in brevissimam formam coacta fuerunt. Ea quoque quae Cassandra de Nauplio (1092—1098), de Idomeneo (1214—1225), de Cassandrae, Hecubae, Hectoris cultibus ipsis praedicit tam exigua sunt, ut ea a poeta ex ipsis carminibus electa esse vix credere possis. Sed longe alio explicandi genere poeta iis partibus utitur quibus Homerus subest auctor principalis: narrationis flumen quoddam, ut ita dicam, rapido cursu fertur neque ullo impedimento sustinetur neque quicquam fere alienum iniectum est. Ac simillima est argumentorum ratio de classis Aiacisque interitu (373—397) et de Agamemnonis nece (1099—1122): oratio multis singulis rebus audacibusque comparationibus ornata est, additamenta desunt, fabulae vere poeticae fusius exponuntur. Quam ob rem haec ad carmina ipsa referri veri simile est.

Iamiam complectamur quae e componendi et explicandi genere Lycophroneo cognoverimus. Maxime variae argumentorum rationes sunt: breves de oppidorum conditoribus adnotationes, narrationes (Antehomerica) fabulaeque (Troianorum fata) in augustissimum deductae, uberrima argumenta reperiuntur. Varii igitur Lycophronis fontes fuerunt. Plurimas vero fabulas poetam hausisse e solutae orationis opere quod cycli Troiani res praebuit suspicamur. Itaque nego recte Walterum iudicasse: ‚Quid . . . probabilius, quam etiam reliqua illa omnia eum inde hausisse, ubi primum litteris mandata exstiterint et ubi legere ea licuerit continua narratione exposita, scilicet ex ipsis cycli epici carminibus?' Immo vero in sequentibus re vera poetam praecipue solutae orationis libro esse usum ostendere ac cuiusmodi illud opus fuerit anquirere necesse est.

§ 4.

In quaestione adhuc habita tantum e narrandi ratione conclusimus Lycophronem plerumque fabulas non e carminibus ipsis hausisse, sed e solutae orationis libro; nondum sciscitati sumus, quibus temporibus illae fabularum formae ortae essent ac floruissent. Quod si faciemus, cognoscemus, utrum in singulis partibus maxime variarum fabularum variis temporibus natarum strues factae an merae tantum eiusdem aetatis fabulae congestae sint. Si vero permultas et antiquissimas et recentissimas fabulas confuse esse permixtas intellegamus, poetam antiquas quoque fabulas modo huc, modo illuc dispersas non

e veteribus carminibus ipsis, sed una cum recentibus e solutae orationis opere hausisse iterum veri simile sit. Nam rectissime Holzinger p. 36 haec premit: ‚Lykophron sollte, während er schrieb, eine ganze Wagenlast von Litteratur vor sich ausgebreitet haben . . . ? Besäßen wir alle diese sog. ‚Quellen Lykophrons' in sauber gedruckten und mit guten Indices versehenen Ausgaben, wir wären nicht im Stande, in dieser Weise zu dichten, wie man es für ihn voraussetzt'.[52])

Quid? Supra posuimus poetam praecipue libro esse usum qui cycli Troiani res praeberet. Cuiusmodi compendia Lycophronis nostri temporibus exstiterunt: Memineris Istri Callimachei (Wellmann diss. Gryph. 1886), Lysimachi Alexandrini (Radtke diss. Argent. 1893), Apollodori Atheniensis (Münzel diss. Bonn. 1883) operum. Sed ut ostendatur poetam re vera argumentum imprimis tali operi debere, narrationem Alexandrae principalem cum iis quae compendiorum mythologicorum excerpta nobis tradita continent comparare necesse est. At non est obliviscendum nos excerptorum excerpta tantum ex compendii excerptis haustorum in manibus tenere: quodsi quae fabula in his excerptis non reperiatur, non probatum sit eam etiam in compendio ipso defuisse.

Quo mirabilius id quod elucet e quaestione sequente: antiquissimae recentissimaeque fabulae confusissime sunt permixtae: tamen tota fere Alexandrae narratio principalis quae ad cyclum Troïanum pertinet in bibliothecae excerptis invenitur.

Sed priusquam ad singula transimus, hoc unum praepono: cum in sequentibus diligentius nobis perscrutandum sit, quatenus Lycophro attulerit cycli epici Troiani fabulas, e re erit quaerere, unde quoadque cognoscere possimus quae poetae cyclici exposuerint. Nostris enim temporibus viri docti valde dissentiunt, utrum ac quatenus illorum carminum excerptis quae dicuntur Proclianis fides tribuenda sit necne. Cum Welcker (E C I et II) illa carminibus restituendis supponeret, Kirchhoff (quaest. Hom. partic. p. 16 sq.), Robert (B L 222 sq.), Wilamowitz (H U 330 sq.) iure Procli fidem in controversiam vocaverunt. Apollodori et epitoma Vaticana et fragmentis Sabbaiticis inventis illa excerpta in nova luce posita sunt. Neque vero viri docti inter se consenserunt, quae intercederet inter Apollodori bibliothecam et Procli excerpta ratio. De qua re iudicaverunt: R. Wagner, Fleckeis. Jahrbb. 1892 p. 241; Ed. Meyer, Gesch. d.

Alt. II 409; Ed. Schwartz PW Apollodoros; Gruppe Bursian. Jahresber. 81. 89; E. Romagnoli Proclo e il ciclo epico in Studi itali di filol. cl. 9. 35; O. Immisch. Festschr. für Gomperz 244; Finsler Homer 238 sq. Acerrime Proclum damnavit Bethe (Herm. 26. 593 sq.; Theban. Heldenlieder 33, 9), vehementissime pro eius fide propugnavit Allen (the classical quarterly 1908 1 et 2). Quorum sententiis perpensis haud dubie haec constare mihi videntur:

1. Cum narrationes illae de bello Troiano quasi prolegomena ad Iliadem sint, ex Herodoti loco (II 117) notissimo facile factum esse posse concludendum est, ut consensus gratia fabularum quarundam formae Homericae quas Proclus tradit ex Iliade vel Odyssea ut cyclicae in illis argumentis pro veris cyclicis positae sint. Iis igitur argumentorum locis quibus fabulae expositae cum Homericis congruant fides non est tribuenda nisi illae parvulis rebus ab Homeri abhorrent.

2. Cum alterum sit consilium illis excerptis *ἀκολουθίαν τῶν πραγμάτων* in omnium conspectu exponere, multis rebus omissis singulas fabulas parum diligenter narratas esse nobis censendum est.

3. Cum Ilias quoque illis carminibus cyclicis circumclusa fuerit, Procli excerptis fidem quandam tribuere licet demptis iis locis qui cum Iliade et Odyssea consentiunt. Neque vero usquam Procli argumenta sola pro testimoniis habenda, sed cum iis quae compendia mythologica praebent omnibus locis conferenda sunt.

Iamiam ad singula. Pauca primum de primae vaticinii partis (31—85) argumento dicenda sunt. Iam Holzinger in commentarium rettulit haec duo ad Troiam capiendam opus fuisse secundum Parvam Iliadem (P 242 sq.): Herculis sagittas et Neoptolemi auxilium; tertium poeta affert a Parva Iliade alienum: Pelopis ossa (53—55). At cuncta haec tria subsidia in bibliothecae quoque excerptis (205—206) inveniuntur eaque ita, ut Calchas Herculis sagittas, Helenus Neoptolemi auxilium et Pelopis ossa (ac praeterea palladium rapiendum) monstret. Praeter Apollodorum solus Tzetzes fabulam de Pelopis ossibus commemorat, sed ita, ut eum ex Apollodoro eam sumpsisse veri simile videatur (ad 911). Etiam ea quae Lycophro in sequentibus (v. 57) de Oenona Corythoque filio refert abhorrent a carminibus cyclicis (Weizsäcker RLM Oinone III 1. 785 sq.); ne in tragoedia quidem Oenona reperitur. Contra Apollodorus de Oenonae, Cebrenis filiae, Paridisque amoribus prodidit (151).

Transeamus ad partem sequentem qua Lycophro quae bello Troiano antecedunt composuit (86—248). In hac poeta nonnullas Cypriorum fabulas affert, sed nequaquam tota pars pendet ex illo carmine solo (sic Walter p. 67). Prooemii quidem (86—89) argumentum manavit e Cypriis (P 238 sq.: frgm. 8), sed in his versibus etiam indicatur Hecubae somnii fabula (γοννός). Sophoclem et Euripidem (Nauck F T G 373; Welcker G T I 59. II 437) illam fabulam e Cypriis hausisse nusquam certo probatum est. Immo cum Wilamowitzio (Griech. Trag. übers. III p. 260, 1 et 281, 1; non plane recte Robert B L 237 primum in tragoediis illam fabulam esse tractatam ratus) contra Wentzelium (epithal. für Wolfg. Passow 1890, p. 35 sq.; 38 sq., 25 sq.), qui ad Alexandrae quoque locum spectat p. LVII adn. 33, censuerim illam Cypriorum poetae ignotam fuisse, cum primus totam iudicii fabulam finxisse videatur, ut quibus e rebus bellum Troianum ortum esset declararet. Praeterea de Helenae ortu fabula memoratur (88—89). Formam a Lycophrone expositam fuisse epicam apparet e collatis his locis: frgm. 6 K., frgm. a Crönerto ed. (Archiv f. Papyr. I 109); ad haec v. Wentzel epithal. 21 sq., Kekulé Berl. Akad. Sitzungsber. 1908 p. 691 sq., 700. Ea quoque quae versus sq. 90- 101 praebent Cypriorum, poeta enarravit: P 238, fragm. 3 et 4 K., Ov. Her. 16, Hom. E 59 sq., Wentzel epith. LVII adn. 33. Num novem Alexandri naves ad Peloponnesi litora esse appulsas etiam expositum fuerit in Cypriis, nullo testimonio constat; sed certo Pherecydes haec tradidit (ss[3] s[4] ad 100).

In sequentibus nil de Tyndaridarum et Menelai hospitio (P. 239): Cassandra protinus vaticinatur, Paridem e sinu Laconico avectum iri (102—109). Huic ‚narrationi' omnino non fonte opus fuit. — Relatio ad λίκος adnexa (102 – 107) de Helenae raptu certe aliena est a Cypriis. Nam veri simile est secundum epici poetae testimonium Paridem Sparta Helenam abduxisse, non a litore rapuisse. Praeterea in Cypriis Venus est adiutrix: Helena sua sponte Paridem sequitur: P 239, Wentzel epithal. 16. Fabulam a Lycophrone hoc loco traditam nusquam reperies nisi in s[4] ad 104; videtur recens fuisse ac proprie Laconica. Haud scio an Sosibius eam in libro ‚περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν' prodiderit (Lycophro quoque de sacrificio loquitur v. 106—107!). — Inde a v. 110 ea quae in itinere accident exponuntur: nuptiae in Helena insula celebrantur, in Helenae vicem imago falsa mittitur. Quas fabulas abhorrere a Cypriis elucet ex Herodoti loco II 117, immo e Procli verbis (239): καὶ μετὰ τὴν

μῖξιν τὰ πλεῖστα κτήματα ἐνθέμενοι νυκτὸς ἀποπλέουσι. Et harum fabularum Lycophronearum et sequentium (115—143: Herod. II 115) primus auctor videtur fuisse Stesichorus. — Ad Cypriorum argumentum poeta redit v. 180. Cum enim ambiguum verbum elegerit (*παλιμπόρευτον* 180: cf. adn. 8), versui ea sententia subest quae a narratione antecedente discrepat, ergo haec: Paris eadem via iterum vehitur. Haec autem fuit relatio cyclica (Herod. II 117). Sequentium quoque versuum 181—201 argumentum principale refertur ad Cypria: v. P 240: tragicos, vasa fictilia, imagines (Stoll R L M IIa 298 sq.). At v. 202—210 narratio non ex illo carmine epico videtur manavisse. Neque enim cyclicum poetam Helenae procorum ius iurandum cognitum habuisse putatur. Fortasse huius argumenti auctor primus Hesiodus fuit (Berl. Klassikertexte V. 28 sq.; cetera apud Engelmannum R L M I 2. 1935), fortasse Stesichorus (schol. B 339). Sed ea quae v. 211—215 praebent iam Cypriorum poeta noverat: P 240. V. 216—218 et 229—231 quoque argumenta quadrant ad Cypria: P 240.

At contra sequentia a Cypriis prorsus abhorrent. Nam cyclico poeta teste Cygnus in Troadis regione maritima cadit (P 241, Apollod. 198). Cassandra autem eum Tenedi ab Achille interfectum iri vaticinatur. Mnemonis fabula (240—242) est recentissima (Wagner E 196): eius notio tamquam sublimis fabellis impendens ad fabulas quaslibet additur (ad haec Tümpel R L M II b 3075). Inter has (232—233, 240—242) aliquot fabulae interiectae sunt quae universae attinent ad Tenedum: hoc Alexandrae loco tamquam nidus fabulis Tenediis videtur textus esse. Omnes fere hae fabulae parum notae sunt et Cygni Tenedii fabulam apud antiquiores frustra requires. Quae perspicua est: Tenes insulae eponymus filius Cygni, Achillis veteris hostis, factus est i. e.: Tenedi quoque indigenarum bellum cum gente Graeca gestum est. Haec igitur fabula Tenedi antiquitus quidem orta neque vero videtur pervagata esse. De Tenne etiam Euripides cecinit (Welcker G T II 499 sq.; Wagner E 193 sq.); cunctae vero hae fabulae sine dubio in opere expositae fuerunt quod praecipue ad regiones Tenedias attinuit.

V. 243—248: haec fabula, quam in Cypriis fuisse narratam nemo testatur, non tradita est nisi Antimachi fragmento (ss^3 s^4 ad 246) et scholio ad Andromachae v. 1139. Ac fortasse Lycophro illum locum Antimacheum ipsum imitatur:

ῥίμφα δ' ἐπ' ἠπείροιο μελαίνης ἐφόσ' ἀρθείς
Πηλείδης, ἀπόρουσεν ἐλαφρὸς ἠύτε κίρκος,
τοῦ δ' ἔμπροσθε ποδῶν κρήνη γένετ' ἀενάουσα.

λαιψηροῦ ποδός = *ἐλαφρός* (*ἐλαφρῶς* Stoll fragm. 72). Cum prima terrae continentis pars videlicet sit litus arenosum. *θῖν' ἔμμοιο* interpretatum videtur esse ex *ἐπ' ἠπείροιο* (sic recte Stoll Schellenbachium sequens; Scheer cum cood. *ἀπ'*). Pro similitudine quae inest in voce *κίρκος* Lycophro comparationem Myrmidonum principis propriam posuit *λύκος*.

Iamiam complectamur. Lycophronem in Antehomericis (86—248) antiquissimas recentissimasque fabulas coacervasse cognovimus: modo fabulis cyclicis (86—100; 180—201; 211—215), modo Stesichoreis (110—146. 201—209?), modo Antimacheis utitur; tragicas indicat (86); Pherecydea inserit (101); fabulas regionum quarundam tantum proprias affert (102—109, 232—242). Quidquod Apollodorus eandem fere narrationem uno tenore percurrit atque Lycophro? Conferas haec:

	Lyc.	Apollod.
Hecubae somnium	86	III 12, 5_2 sq. (p. 149). Praeterea hi quoque loci quibus illa fabula tradita est ad fontes mythologicos referuntur: schol. ad. Eur. Andr. 294. Tryph. 380. Tzetz. Posthom. 41 sq. Ov. Her. 16, 44.
Fabula de Helenae natu	88—89	III 10, 7_1 (143).
Mater: Nemesis		III 127
Paridis iudicium; Paris pastor Idaeus	91—93	ep. 3, 2 (187)
Paris ad Laconicam navibus a Phereclo constructis vehitur	94—101	ep. 3, 2
Helena in litore victimas immolans a Paride rapitur	102—109	excerpta: *πείθει τὴν Ἑλένην ἀπαγαγεῖν σὺν ἑαυτῷ*: notissima forma ep 3, 3; sed vide scholion s[4] ad 100!
Helena apud Proteum; *εἴδωλον Ἑλένης*	110—143	ep. 3, 5
Graeci bellum Troianum apparant	181—182	ep. 3, 6 sq.
Iphigeniae fabula	183 sq.	ep. 3, 21 sq.
Passerculorum omen	202—203	ep. 3, 15
Expeditio prior	204—215	ep. 3, 17 sq.
Graeci Tenedum perveniunt	229—231	ep. 3, 23

	Lyc.	Apollod.
Fabulae Tenediae	232—242	ep. 3, 24—26: Cygnus Tenedius, Tennis pater; Thetis Achillem monet, Achilles Tennem interficit, eaedem fabulae de Tenne Hemitheaque
Graeci ad litus Troianum appellunt	243—248	ep. 3, 28 (illa Antimachea in excerptis sunt omissa; unum testimonium mythographicum schol. ad Andr. 1139).

Sequentibus poetam ipsum subesse auctorem principalem Walter p. 47—66 egregie ostendit. Tamen nobis hoc loco est annotandum Apollodorum et de pugna in castris navalibus commissa (4. 3 sq.) et de Hectoris morte (4. 8) et Achillis nece (5, 3 sq.) ac funere (5, 5) narrasse.

Sequitur Troili fabula (307—313). Dubitari non potest quin poeta eam formam exponat quae Achillis amorem in vivum Troilum (contra Welckerum GT I 127) praebet. Sed amorem viri in puerum poesis heroica omnino non agnoscit nisi scelus gravissimum (E. Bethe. Theb. Heldenlieder 1 et 143); aliter autem haec est fabula comparata. Ex eo quod Troilus Achillem incensum per breve tempus amoris inane vinculis capit, in aperto est Achillem iam ante quam ei in puteo insidiatur alicubi eum conspexisse. Res igitur ita se habet: Achilles Troilum appetit, Troilus eius amorem renuit. Quo furenter iratus Achilles illi insidiatur, eum insectatur, interficit. Huic fabulae Dorica honoris notio subest quae attinet ad puerorum amorem (Bethe Mus. Rhen. 1907 p. 456 sq.) Haec quam vehementer abhorret a Cypriis carmine epico quod Troili necem narraverat (P 241), tam bene quadrat ad tragoedias (memineris Achillem Patrocli amasium fuisse in Aeschyli Myrmidonibus: Nauck FTG II 135 et 136). Profecto Phrynichus primus Achillis amorem in Troili fabulam videtur intulisse; conferas versum quem Sophocles Ione Chio teste (Athen. XIII 603 E) e Phrynichi Troilo (haud dubie tragici. cuius cantus iam Aristophanis temporibus (Av. 750 sq.) sunt cantati) affert ad puerum rubescentem spectans (Athen. XIII 564 F): *λάμπειν ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος*. Illum Sophocles videtur secutus esse (schol ad Hom. Ω 257: *ὀχευθῆναι* codd., *λογχευθῆναι* Welcker. *λοχηθῆναι* Dindorf. *λογευθῆναι* (?) Klein; ss^3 s^4 ad 307?). Iamiam animum attendas ad voces Lycophroneas *βαιὸν ἀστεργῆ χρόνον*. E quibus hunc locum referri ad relationem quidem brevissimam dilu-

eide cognoscitur: ergo nullo pacto poeta hoc loco singulos tragoediae (ut taceam de Strattis comoedia Meineke hist. com. Gr. 232) versus imitatur. In bibliothecae excerptis haec sola litteris sunt custodita (ep. 3, 32): *Ἀχιλλεὺς ἐνεδρεύσας Τρωίλον ἐν τῷ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ἱερῷ φονεύει.*

Sequitur Laodicae fabula (316—322). Lycophronem vocem *στεναγμάτων* scribentem spectare ad miseriam diutinam iam supra diximus (adn. 16), quod esse servitium indico. Unde haec fabula manaverit, non est in aperto, fortasse ex Arctini Ilii Perside quae dicitur (Wagner E 248). At Lycophronem hoc loco optime conspirare cum mythographis est in aprico. Conferas Nicolai Progymn. hunc locum (Westermann myth. graec. 376, 44): . . . *Λαοδίκη δὲ δυσχεραίνουσα φθῆναι θανάτῳ τὴν δουλείαν ᾑρεῖτο καὶ διαστᾶσα μὲν αὐτὴν δέχεται γῆ βουλομένων θεῶν. τελευτᾷ δὲ ἡ παῖς ἥλιον ἔχουσα τῆς δουλείας ἀμάρτυρον.* Similiter Quintus compendio mythologico usus (Wilamowitz HU 336, 5) v. 545 sq. c. XIII:

> *καὶ τότε που Πριάμοιο πολυτλήτοιο θύγατρα*
> *Λαοδίκην ἐνέπουσιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ὀρέξαι*
> *εὐχομένην μακάρεσσιν ἀπειρέσιν, ὄφρά ἑ γαῖα*
> *ἀμφιχάνῃ, πρὶν χεῖρα βαλεῖν ἐπὶ δούλια ἔργα.*

Quid? Thryphiodorus (660) et Tzetzes (Posthom. 736) etiamsi imminens servitium omittunt, tamen eandem fabulae formam praebent (de quorum fontibus Noack Herm. 27, 463). Egregie ad voces Lycophroneas ea quoque quadrant quae in bibliothecae excerptis sunt tradita (5, 25): *Λαοδίκην μὲν γὰρ κάλλει τῶν Πριάμου θυγατέρων διαφέρουσαν βλεπόντων πάντων γῆ χάσματι ἀπέκρυψε.* Itaque suo iure Wagner mea quidem sententia ex illis Tzetzae, epitomae auctoris, verbis conclusit ‚in contione de captivorum habita discidium de Laodicae sorte inter duces ortum esse.' Si haec sint recta, necessario putandum sit Graecos Laodicae in Nyctomachia pepercisse ac profecto Polygnotus ita eam pinxit (Weizsäcker, Polygnots Gemälde in der Lesche der Knidier in Delphi 1895, 28).

Polyxenae fabulam immolatae (323—329) certo iam Ilii Persidis auctor enarraverat: P 245 (ad res criticas cf. Wagnerum Mus. Rhen. 46, 406 sq. et E 250 sq.); vasa ac picturas apud Tuerkium RLM Polyxena 2738 sq. Euripides in Hecubae tragoedia fabulam ita mutavit, ut sacrum in terra Thracia perpetretur idque ut illius furor accendatur cum Polyxenam esse sacrificatam nuntiatur. nil

mali Hecubam deficit: cum Polydori necem comperit, iniuriae adeo cumulantur, ut ulciscatur (contra Welckerum GT II 183 quem sequitur Christ Griech. Litt. 1898. 265). Nequaquam vero Euripides — quod Holzinger censet — Alexandrae loco subest auctor. His tantum alter cum altero congruit: in Hec. v. 90 Neoptolemus *λύκος* nominatur, apud Lycophronem *λύκοι* Myrmidones (Hom. *Il* 156 sq.). Praeterea haud scio an voce *λαιμίσας* v. 326 vox *λαιμότομον* Hec. v. 208 in memoriam redigatur. Ceteris Hecubae locis ab Holzingero allatis nullum verbum repperi quod cum verbo Lycophroneo congruat. Maioris momenti sit in Hec. v. 543 *ἀμφίχρυσον φάσγανον* Neoptolemi commemorari, si spectes ad v. 328.

Sed ex alia tragoedia Lycophronem ipsum nonnulla sumpsisse arbitror. Miras Lycophronis voces *πρὸς νυμφεῖα καὶ γαμηλίους θυηλάς* compares cum his Senecae locis (ed. Leo 1879):

Troad. v. 61: mactanda virgo est Thessali busto ducis,
sed quo iugari thessalae cultu solent
invidesve vel mycenaeae nurus,
Pyrrhus parenti coniugem tradat suo.

v. 942:

Polyxene . . . campo maritus ut sit Elysio

imprimis autem v. 1142:

cum subito thalami more praecedunt faces
et pronuba illi Tyndaris maestum caput
demissa.

Casu accidisse non potest, ut et Lycophro et Seneca immolationem eadem mira ratione describant, neque vero Senecam illis locis Alexandrae locum interpretatum esse crediderim. Immo e communi fonte hausisse sunt putandi: quis est quin cogitaverit de Sophoclis tragoedia quae Polyxena nominatur (Nauck FTG 195 sq., Welcker GT I 183 sq.)? Accedit quod similia inveniuntur apud Statyllium Flaccum (anth. Pal. IX 117):

πένδιμον ἡνίκα πατρὶ Πολυξείνης ὑμέναιον
ἤνυσεν ὀγκωτοῦ Πύρρος ὕπερθε τάφου. —

In excerptis Polyxenae fabula solum notata reperitur (5,23:212): *Πολυξένην δὲ ἐπὶ τῷ Ἀχιλλέως τάφῳ κατέσφαξαν.*[33])

De Hecubae sorte (330—334) P tacet; num in Nostis (Apollod. 212: *λαμβάνει . . . . Ὀδυσσεὺς Ἑκάβην,* P 245: *Νεοπτόλεμος . . . παραγενόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν τῇ Μαρωνείᾳ*) exposita

3

fuerit, non liquet. Fragmentum lyricum adespotum Dio Chrysost. Or. XXXIII, quod Welcker (Mus. Rhen. I 1832, 430) adscribit Alcmani, Bergk Simonidi, pendere e Nostis (sic Welcker EC II 91, 249) necessarium non est: haud scio an ille poeta Stesichori ratione fabula in regione tantum Thracia nota usus sit. Alias atque Lycophro formas et Stesichorus (Paus. X 27, 2) et Euripides (Lycophro dissertissime: *ἐπισβόλοις ἀραῖσιν ἠρεθισμένη*. Ergo non propter Polymestoris ultionem Hecuba lapidibus obruitur: perperam Holzinger ad 331: L. setzt hier nach Eur. voraus, daß Hek. sich auf thrak. Gebiet begibt.) prodiderunt. Forma Lycophronea, cum poeta scribat ***Δολόγκων***, longe alia est atque vulgaris: Graeci omnino non memorantur. Itaque crediderim hanc Thraciae tantum propriam fuisse (similiter Wilamowitz Griech. Trag. übers. III 266). Epitomae auctor etiamsi non quidem hanc formam tradit, attamen ad Hecubae memoriam haec addit (5, 24: 212): *ὡς δ' ἔνιοι λέγουσιν, Ἕλενος αὐτὴν λαμβάνει καὶ διακομισθεὶς εἰς Χερρόνησον σὺν αὐτῇ κύνα γενομένην θάπτει, ἔνθα νῦν λέγεται Κυνὸς σῆμα.* Alias quoque fabulas de Hecubae sorte Apollodorum hoc loco inseruisse veri simile sit.

Relatio de Priami fato (335—336) certo refertur ad (Arctini) Persidem: P. 244, Paus. X 27, 2 (ad haec Weizsäcker 28). Alia fuit fabulae forma in Parva Iliade narrata (Paus. X 27, 2). In sequentibus (340—347) duo Graecorum adiutores significantur, Antenor (340—343) et Sinon (344—347): utrumque Cassandra praedicit facem Graecis signum esse incensurum. Duae autem descriptiones Troiae interitus exstiterunt, altera in Iliade Parva, altera in (Arctini) Perside. Sinonem Graecis signum igneum dedisse haud dubie in Perside (P 244, Welcker GT I 157), Graecos Antenori suisque in Nyctomachia pepercisse in Parva Iliade (Paus. X 26, 7) expositum fuit. Quam ob rem veri simile est Antenorem in Parva Iliade Troianos prodidisse (Heyne Aen. exc. 7, Welcker EC II 246 sq.). Contra Sinonem in hoc quoque carmine epico esse repertum nusquam memoratur. Neque enim in scholio ad 344 quicquam traditum est nisi lunam luxisse secundum Parvam Iliadem. Lycophro igitur hoc loco tres fabulas cyclicas affert quarum prima e Perside, altera e Parva Iliade, tertia e Perside manavit. In extremam verba ***παιδοβρῶτος Πορκέως νήσους διπλᾶς*** (347) sunt iniecta quae nihil aliud praebent nisi Calydnarum notationem (adn. 19). P (244) alteram abulae formam exponit quae ad epicum carmen egregie quadrat: Laocoon moritur, nomina desunt (Bacchylidea?). Lycophro autem

eam formam indicat qua Porceum ab insulis Calydnis venisse narratur nescio an tragicam (Robert BL 198).

Hoc igitur loco fabulas repperimus quae aut ad Persidem aut ad Parvam Iliadem aut ad tragoediam referuntur; sed omnium harum vestigia in bibliothecae excerptis facile persequi possumus.

	L.	Ap.
Priamus in Jovis ara occisus	335—336	5,21 (211): *καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἐπὶ τοῦ ἑρκείου Διὸς βωμοῦ καταφεύγοντα Πρίαμον ἀνεῖλεν.*
Antenor patriae venditor	340—343	Antenor Graecis amicus: 3,29: 197: *τούτους (Ὀδυσσέα καὶ Μενέλαον) μὲν οὖν ἔσωσεν Ἀντήνωρ.* Ulixes ac Menelaus Glaucum Antenoris filium servant: 5,21: 211.
Sinon Graecis signum dat	344—347	5.9: 210: *καὶ Σίνων αὐτοῖς ἀπὸ τοῦ Ἀχιλλέως τάφου πυρσὸν ἧπτεν.*

In bibliothecae excerptis etiam tragicam fabulae formam de Laocoonte (5.18 : 210) esse traditam Wagner (E 233 sq.) docte ostendit.

P 244: ***Κασσάνδραν δὲ Αἴας ὁ Ἰλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον.*** Longe aliter Lycophro (v. 361—364): tantum abest, ut Minervae signum simul cum Cassandra ab Aiace abripiatur, ut oculos sursum convertat. Accedit quod Cassandra stuprum sibi in Minervae templo factum quod certo abhorret a carmine epico (Welcker GT I 163 contra Heynium exc. 10; Wagner E 242, Wilamowitz Griech. Trag. übers. III 263. 1) his melioribus verbis indicat:

> *τῆμος βιαίως φάσσα πρὸς τόργου λέχος*
> *γαμψαῖσιν ἅρπαις οἰνὰς ἑλκυσθήσομαι,*
> *ἡ πολλὰ δὴ Βούδειαν Αἴθυιαν Κόρην*
> *ἀρωγὸν αὐδάξασα τάρροθον γάμων*

(cf. etiam Engelmann, RLM II a 977). Eandem autem formam atque Lycophro compendiorum mythologicorum auctores tradunt. Apollodorus 5. 22: ***Αἴας δὲ ὁ Λοκρὸς Κασάνδραν ὁρῶν περιπεπλεγμένην τῷ ξοάνῳ τῆς Ἀθηνᾶς βιάζεται διὰ <τοῦ>το τὸ ξόανον εἰς οὐρανὸν βλέπειν.*** schol. N. 66 (adn. 54): ***Κασάνδραν . . . ἱκέτιν οὖσαν Ἀθηνᾶς ἐν τῷ τῆς θεοῦ σηκῷ κατῄσχυνεν, ὥστε τὴν θεὸν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ ξοάνου εἰς τὴν ὀροφὴν τρέψαι.*** Praeterea v. Quintum XII 422, Tryphiod. 647, Tzetz. Posthom. 735, Serv. Aen. I 41, Ov. am. 1, 7, 17.

V. 365—376 poeta ad Nostorum argumentum transit quod se-

quitur usque ad v. 395: cf. P brevissime tantum de his rebus referentem (ad haec Wilamowitz HU 177, 20) et Hom. δ 499 sq. (Kirchhoff. Odyssee 331). Crediderit quis Nauplii (384 sq.) ultionem non quadrare ad Minervae actionem secundum epici carminis narrationem adhibitam (sic Wagner RLM III 1. 26 Nauplios). At et Minervae ira (cf. locos supra memor.) et Nauplius (quod patet ex Apollod. II 1. 5. 14: 57) in Nostis inventus est: Minerva Aiacem pessum dat, Achaeis insidiatur Nauplius. Contra Aiacem a Thetide ad Delum sepultum esse Nostis fuit ignotum. Excerptorum autem auctor cum omnia quae Lycophro enarrat de Aiacis classisque interitu tum haec aeque tradit (6. 5. — 7: 216 —217): totum mare Aegaeum ventorum vi agitatur, Aiacis navis in tempestate fulmine deletur, eius corpus a Thetide Myconi sepelitur, reliquiae classis Graecae ad scopulos Caphareos pereunt (sic recte Wagner E 262 sq.; aliter videtur iudicare RLM III 1. 26).

Pars finitur ac novum thema proponitur v. 408—416.

Versuum quoque 417—423 narratio ad Nostos refertur: P 245. Eadem Apollodorus: 6, 12 : 218, unde T ad 902. Omnibus his locis Phoenicem sepeliri a Neoptolemo traditum est. Qua ex causa Lycophro hoc loco taceat de Neoptolemo, perspicuum est: Neoptolemus cum domum perveniat, ad huius partis consilium nullo modo quadrat. Etiam illam Phoenicis a Peleo recepti fabulam vetustissimam (Hom. Ι 447 sq.; Cypr. fragm. 11 = Paus. X 26. 4) quam Cassandra indicat vocibus **πρὶν ἢ Τυμφρηστὸν αὐγάσαι λέπας** in bibliothecae excerptis non frustra requires (III 13. 8_3 : 156).

Cyclicus poeta Calchantem solis cum Leonteo et Polypoeta Colophonem venisse exposuerat: P 245 (ad res criticas v. Meinekeum Anal. Alex. 79 et Immischium Klaros. Fleckeis. Jahrbb. Suppl. 17. 162_2); Apollod. 6. 2 : 213. de quo loco disserens Immischioque (eod. loc. 168) assentiens Wagner (E 259; Mus. Rhen. 46. 407) Amphilochum alienum fuisse a Nostis ostendit: Amphilochi ac Podalirii (in S omissi!) mentio Apollodorea nihil videtur esse nisi **προπαρασκευή** (Wilamowitz Isyllos 50). At Polypoetem et Leonteum cum salvi domum redissent (T ad 980. qui e bibliotheca hausit: Wagner 215) in hanc partem recipere secundum consilium (415—416) poetae nullo pacto licuit. Itaque aliud traditum brevissime notat: prope Colophonem Calchas, Idomeneus, Sthenelus aequiescent. Quod nusquam invenitur nisi in schol. Hom. v. 259. At hoc pro nihilo esse crediderim (contra Immischium 167 sq.), cum scholiasta Lycophone

utatur; audias Ed. Schwartzium Fleckeis. Jahrbb. Suppl. 12. 459: ‚ex Lycophronis igitur vs. 424 sq. *ἱστορία* schol. v. 259 pannis rhetoricis adsutis composita est.' Audacter illo scholio nisus Immisch v. 424—446 argumentum esse simplex et unum posuit, sc. tempestate (*γενομένου τοῦ κατ' Εὔβοιαν*) Calchantem, Idomeneum, Sthenelum deici in Joniam, Amphilochum vero in Ciliciam in quam Mopsus postea demum perveniret. At poeta de tempestate nihil prodit (vocem *καύηκας* alio modo interpretari licet: cf. ss³ ad 425 Demetrio auctore, Aristoph. Nub. 391): tempestatis notionem mea sententia in illa a Lycophrone dumtaxat notata scholiasta coniecit, qui quae poeta tradidit parum diligenter rettulit. Ne de trium communi quidem errore Lycophro loquitur: solo de Calchante Cassandra vaticinatur, quo modo periturus sit: 426—430. Itaque suspicor illas fabulas quibus antiquissimi ac maximi tumuli prope Colophonem siti tamquam circumtexti, perdiu in regione tantum Colophoniaca notas fuisse et ex opere de rebus Colophoniacis in compendium mythologicum manavisse.

Etiamsi haec fabula in bibliothecae excerptis noniam servata est, attamen fragmentorum Sabbaiticorum auctor eam fabulae de Calchantis fato formam nobis tradidit, quae omnibus singulis rebus cum iis quae Lycophro v. 426—430 exponit congruit (6. 2 sq. = 214): interroganti priori Calchanti Mopsus recte respondet, Mopso falso Calchas qua ex causa moritur. Et illorum fragmentorum auctor et Lycophro Calchantem e Mopso ficorum, Mopsum e Calchante fetus numerum quaerere tradunt.

S.	L.
ἦν γὰρ αὐτῷ λόγιον τελευτήσειν,	430: *τὸν μεμορμένον*
ἐὰν ἑαυτοῦ σοφωτέρῳ περιτύχῃ μάντει.	
καὶ Κάλχαντος ἀνακρίναντος ἐρινεοῦ	428/29: *ὅτ' ἄν τις ὀλύνθων δῆριν*
ἱστάσης 'πόσα ἔχει'; τοῦ δὲ εἰπόντος	*ἑλκύσας σοφὴν*
μύρια καὶ μέτρῳ μέδιμνον καὶ ἓν	*τὸν ἀνθάμιλλον*
πλεονάζον κατὰ τὴν τοῦ Μόψου πρόρρησιν.	
Μόψος δὲ συὸς οὔσης ἐπιτόκου ἠρώτα	429/30: *αὐτὸς ἐκ μαντευμάτων*
Κάλχαντα, πόσους κατὰ γαστρὸς ἔχει.	*σφαλεὶς*
τοῦ δὲ εἰπόντος 'ὀκτὼ' μειδιάσας ὁ	427: *συὸς παραπλαγχθέντα*
Μόψος ἔφη . . . . καὶ οὐχ ὡς ὁ Κάλχας	*θηλείας τόκον*
ὀκτώ, ἀλλ' ἐννέα κατὰ γαστρός.	
τούτων γοῦν γενομένων Κάλχας,	430: *παίσει τὸν μεμορμένον πότμον*
ἀθυμήσας ἀπέθανε καὶ ἐτάφη ἐν Νοτίῳ.	

Sed quis hanc formam primus exposuerit, nescio; epicam narrationis ubertatem et certaminis describendi gaudium spectans cum

Wagnero (Mus. Rhen. 46. 408) cogitaverit quis de Melampodia. Quod Immisch et Wagner e carminis Hesiodei ratione fragmentum apud Strabonem (XIV 642) traditum non esse integrum suspicantur, assentior, contra Immischium qui illud oraculum a Melampodia alienum esse iudicavit iure pugnavit Wagner (E 258).

Fabulam quam v. 439—446 praebent Lycophro cum pugnantium nomina non appellet, non notet, haud dubie notissimam putavit: quam ob rem crediderim eum hoc loco loqui de Amphilocho Amphiarai filio, fratre Alcmaeonis. Amphilochus filius Alcmaeonis a Tzetza fictus videtur (ad 440 et in E 74: 6, 19 — 222; in S haec fabula est omissa — contra Immischium Klaros 107 sq.), cum nullo loco de hoc referatur nisi his. Ceterum fabula Tzetzeiana eadem est atque Lycophronis, Strabonis (XIV 676), Euphorionis (Meineke Anal. Al. 90). Apollodorum hanc fabulam e fonte remoto hausisse recte iam Wagner e scriptoris verbis ipsis conclusit: *Ἀμφίλοχος δὲ . . . κατά τινας ὕστερον παραγενόμενος εἰς Τροίαν κατὰ τὸν χειμῶνα ἀπερρίφη πρὸς Μόψον καὶ ὥς τινες λέγουσιν ὑπὲρ τῆς βασιλείας μονομαχοῦντες ἔκτειναν ἀλλήλους*. Ergo vix in Nostis inventa est; ne e Melampodia quidem Hesiodi carmine manavit quippe quo Mopsum vicisse traditum sit (Immisch Klaros 166). Cum et a Lycophrone et Strabone certandi locus sit ascriptus, illam fabulam primum geographum qui praecique res Cilicias respiceret Timaei ratione exposuisse censeo.

Iam in paragrapho tertia fusius demonstravimus partis Cypriae (447 – 591) argumentum principale referri non posse ad ullum carmen. Nequaquam error communis Graecorum ducum qui in insulam Cyprum perveniunt enarratur, sed variis temporibus varioque modo illuc veniunt (Teucrus post reditum in patriam, Agapenor tempestate deiectus: *τῶν δὲ ναυαγησάντων περὶ τὸν Καφηρέα ἄλλος ἀλλαχῆ φέρεται* Apollod. 6, 15 — 218/219). Acamas tantum memoratur, quin etiam Cepheus ac Praxander nominatim appellantur. Ergo hae fabulae Cypri propriae fuerunt et coloniis illic conditis ortae sunt. Quod clarius videbis, si fabulas de Agapenore apud Paus. (VIII 5. 2, 3. 10. 10. 53. 7) et Strab. (XIV 683) ac de Acamantis promunturio Cyprio (Strab. XIV 682) narratas legeris.

Huius quoque argumenti vestigia in bibliothecae excerptis cernimus: Tzetzes 6. 15 (219): *εἰσὶ δὲ οἳ καὶ Κύπρον ᾤκησαν*. Immo vero in fragmentis Sabbaiticis (p. 218 sq.) Agapenor nominatur: *τῶν δὲ ναυαγησάντων περὶ τὸν Καφαρέα ἄλλος ἀλλαχῆ φέρεται*, . . .

Ἀγαπήνωρ ἐν Κύπρῳ. Accedit quod Tzetzes in scholio ad v. 450 adnotat: *φασὶ γάρ, ὅτι Τεῦκρος προσπλέων Σαλαμῖνι, διωχθεὶς παρὰ Τελαμῶνος τοῦ πατρὸς, ὡς μὴ ἀμύνας Αἴαντι, ἐλθὼν ἐν Κύπρῳ καὶ Σαλαμῖνα κτίσας αὐτὴν ᾤκησε καὶ γήμας Εὔνην τὴν Κινύρου Ἀστερίαν ἐγέννησε*. Et haec et ea quae versibus 603 et 1067 ascripsit Wagner de Diomedis ac Schedii Epistrophique comitum erroribus, bibliothecae tribuit, deinde in myth. Graec. 220 ‚haec stare vix posse' iudicavit, ‚cum ei tantum in rationem vocandi esse' viderentur, ‚qui ex Capharea tempestate servati erant'. Si Diomedum Teucrorumque errores Apollodorus omiserit, hoc valde mirum sit. Praeterea illud ‚*τῶν δὲ ναυηγησάντων περὶ τὸν Καφηρέα*' ducum fatorum narrationi non propositum est nisi in S; contra epitoma Podalirii fabulam (221) praebet tempestate non memorata. — Cum illam fabulam de Cephei et Praxandri sorte nullo alio modo traditam certo Philostephanum (ss[3] T ad 586) in libro ‚*περὶ Κύπρου*' rettulisse sciamus, suspicari licet compendiorum mythologicorum auctores cunctas has fabulas quae spectant ad Cyprum illi Callimachi discipulo (fragm. 20 F H G III p. 32) debere.

Redeamus ad v. 450—478 quibus Teucri fatum in patriam reversi explicatur. Hoc loco haud dubie poeta carmine quodam ipso usus est. Miretur quis quod duobus locis (450 et 467) eadem exponuntur: tamen unum defenderim totius argumenti auctorem. Mea enim sententia Lycophro dicta eo repetere cogitur quod v. 462—466 interiecit quibus qua ex causa Telamon Teucrum e patria expellat declarat (*γάρ*!). Iam Scheer (Progr. Ploen. 1876 p. 12) rectissime spectavit ad Aiacem Sophocleam. Ad singula conferas:

Soph. Aiac. v.	Lyc. Alex. v.
1008 *σὸς πατὴρ ἐμός θ' ἅμα*	452 *ὡς σπατρίου φονεὺς πώλου*
1013 *τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον*	453 *νόθον φίτυμα*
1015 *ὡς τὰ σὰ κράτη θανόντος καὶ δόμους νέμοιμι σούς.*	453 *συγγενῶν βλάβη*
1019—20 *τέλος δ' ἀπωστὸς γῆς ἀπορριφθήσομαι, δοῦλος λόγοισιν ἀντ' ἐλευθέρου φανείς.*	{ 450 *μομφαῖσι πατρὸς ἠλαστρημένος* 467 *ἐλᾷ δὲ πάτρας τῆλε Τραμβήλου κάσιν*

Ea quae v. 462 sq. praebent Lycophronem ex Aiacis v. 1014—1015 et 815 sq. interpretatum esse censeo. Holzinger cum alia tum mira affert: *σπλάγχνον* in Aiac. v. 995 intellegendum est viscus Teucri, in Alex. v. 465 Aiacis.[55])

V. 592—632 Diomedis errores praebent. Quae de hoc in Nostis

exposita fuerint, testes hi tradunt: P 245 . . . *Διομήδης δὲ καὶ Νέστωρ ἀναχθέντες εἰς τὴν οἰκείαν διασῴζονται.* Apollod. 213: *Διομήδης μὲν οὖν καὶ Νέστωρ εὐπλοοῦσι* . . . Hom. γ 180 sq.: *τέταρτον ἦμαρ ἔην, ὅτ' ἐν Ἄργει νῆας ἐίσας Τυδεΐδεω ἕταροι Διομήδεος ἱπποδάμοιο ἵστασαν.* Nihil de Aegialea, nihil de itinere altero. Eo demum quod Mimnermus primus duas res, ut ita dicam, fabulares (deus laesus [Hom. *E* 330 sq.] ulciscitur — cogites de Aiace Locro —: uxor domum servans adulterium init — cogites de Clytaemestra) ad narrationem cyclicam adiecit (ss³ s⁴ ad 610), illa epica fabula cum veteribus fabulis Italicis ita coniungi potuit, ut ille ab uxore pulsus alterum iter faceret. Loco autem Lycophroneo Timaeus subest solus auctor principalis (ss³ s⁴ ad 615, ad haec Klausen Aeneas und die Penaten II 579 et 1177; Müllenhoff D. Alt. I 434; Günther 38, 66; Geffcken 3, 5 sq.), cum *ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Τίμαιος* referendum sit ad illud quoque *ἐλαθεὶς ὑπὸ Αἰγιαλείας.*[56]) Attamen adiciam similia de Diomede comitibusque compendia mythologica praebuisse (ss³ s⁴ ad 592 non e Lycophronis versibus expressum: Wagner E 286).

Sequentis quoque narrationis (633—647) auctor est Timaeus: v. T ad 633: *Τίμαιος δέ φησιν εἰς ταύτας τὰς νήσους ἐλθεῖν τινας τῶν Βοιωτῶν,* ad haec Klausen II 579, Müllerhoff I 402 sq., Günther 23, 34*, Geffcken 2—14, 16, 38. Tamen quae de his in excerptis reperiuntur, hoc loco sunt afferenda (6, 15 b: 220): *οἱ τῶν Τληπολέμου προσίσχουσι Κρήτῃ εἶτα ὑπ' ἀνέμων ἐξωσθέντες περὶ τὰς Ἰβηρικὰς νήσους ᾤκησαν.*

V. 648—687 et v. 718—792 argumenta Lycophronem debere Homero ipsi Walter inde a p. 8 accuratius ostendit. Interiectae sunt fabulae Ulixeae Italicae quae haustae sunt e Timaeo: Klausen 1130, Günther 41 sq. 45, Geffcken 29, 32 sq. Inde a. v. 793 nonnullae fabulae de Ulixis ultimis casibus (—819) sequuntur quas ad maxime varios primos fontes referri primo quasi aspectu apparet: primum enim poeta exponit Ulixem in insula Ithaca cadere, deinde ab Eurytanis coli, postremo eius sepulcrum in terra Italica situm esse. Homerum sequi Lycophroni secundum huius partis consilium (415—416) noniam licuit, cum Odyssea Ulixis reditu secundo finiatur. Sed Odysseae argumento cyclicus poeta Telegoniae argumentum annexuit. Ac profecto fabulas quas Lycophro v. 793—798 affert in illo carmine cyclico narratas fuisse P 246, Hyginus 127, scholia quae Wilamowitz H U 192 sq. collegit probant. Sequentibus v. 799—804 nihil exponitur nisi Ulixem vatem mortuum ab Aetolis

et Epirotibus coli. Cum Ulixes in Epiro et Aetolia cultus sit, fabulam exstitisse concludo quae eum illic mortuum esse narravit. Haec abhorreat a Telegonia poemate quo post Thesproticas fabulas insertas proditur quomodo Ulixes mortuus sit in ipsa patria insula Ithaca. Haud dubie ille cultus res fuit regionis Thesproticae propria; quam ob rem crediderim compendiorum mythologicorum auctores haec aut ex illo carmine epico quod Thesprotis appellatur (Paus. VIII 12) aut e solutae orationis libro praecipue de rebus Thesproticis agente sumpsisse. — V. 805—806 de Ulixis sepulcro Italico refertur. Timaenum suspicamur auctorem. Atque item in sequentibus (807—811): recentissimae fabulae proferuntur: eo tempore cum ortae sunt, Circe dea immortalis oblivioni data fuit; tum requisitum est quae Ulixis uxoribus liberisque accidissent quippe qui illius superstites fuissent. Recentes vero fabulae et a veteribus plane abhorrentes in Italia exortae sunt (O. Müller Etrur. II 281; Klausen Aen und d. Pen. 1144) de Circe, Ulixe Nano, Telemacho (Serv. ad Verg. Aen. X 167). Quid est probabilius quam v. 807—811 fabulam solo in scholio ss^3 s^4 ad 808 ibique paulo aliter traditam (scholiasta teste Cassiphona, Circae filia, Telemachi uxor est, Telemachus autem socrum arrogantem interficit: *ὁ Τηλέμαχος μὴ βουληθεὶς φέρειν αὐτῆς τὰ προστάγματα*) referri ad Timaeum? — In epilogo sequente (812—819) poeta temporis meminit quo Ulixis bellum Troianum effugere contendit. Haec primum narrata esse a tragicis videntur (Cic. de off. III 26, 97 contra P 239; v. Wilamowitz Berl. Klassikertexte V 1. 40).

Iamiam redeamus ad Apollodorum. Hoc loco primum haec premam: cum tota narratio Lycophronea ad Odysseam spectans in excerptis reperitur (7. 2 sq. inde a p. 227) tum hoc (7, 1): *Ὁ δὲ Ὀδυσσεύς, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, ἐπλανᾶτο κατὰ Λιβύην, ὡς δὲ ἔνιοι κατὰ Σικελίαν, ὡς δὲ ἄλλοι κατὰ τὸν Ὠκεανὸν ἢ κατὰ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος.* Quid? Ad v. 793—798 hunc locum compares (7, 36: 236): *Τηλέγονος δὲ παρὰ Κίρκης μαθὼν ὅτι παῖς Ὀδυσσέως ἐστίν, ἐπὶ τὴν τούτου ζήτησιν ἐκπλεῖ. παραγενόμενος δὲ εἰς Ἰθάκην τὴν νῆσον ἀπελαύνει τινὰ τῶν βοσκημάτων, καὶ Ὀδυσσέα βοηθοῦντα τῷ μετὰ χεῖρας δόρατι Τηλέγονος <τρυγόνος> κέντρον τὴν αἰχμὴν ἔχοντι τιτρώσκει, καὶ Ὀδυσσεὺς θνήσκει.* Ad v. 799—804 hunc (7, 40: 237): *εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες . . . Ὀδυσσέα δὲ εἰς Αἰτωλίαν πρὸς Θόαντα τὸν Ἀνδραίμονος παραγενόμενον τὴν τούτου θυγατέρα γῆμαι, καὶ καταλιπόντα παῖδα Λεοντοφόνον ἐκ ταύτης γηραιὸν τελευτῆσαι.* In compendiis mythologicis etiam de Circae, Telemachi, Cassiphonae fatis

esse proditum scholio supra memorato ad 808 satis confirmatur. Denique illa quoque fabula de Ulixis furore quae epilogo est inclusa ab excerptorum auctoribus nobis servata est.

Narratio sequens (820—876) de Menelai errore quae in duas partes divisa est praecipue terrarum enumerationem quae fabulis sibi propriis significantur praebet. Uno tantum loco (847—849) Lycophro de Menelai casu refert ac profecto hoc poeta finxit. Homerus (δ 403—406). Telemachiae auctor similiter atque Lycophro etiam terrarum nomina affert quae Menelaus ad orientem errans peragravit (δ 81—85). Quae de his in Nostis exposita fuerint, nullo pacto cognoscere possumus (P 245: Robert BL VI p. 247), ne ex Apollodori quidem argumento (aliter Wagner E 256, Mus. Rhen. 46. 412). At contra illa excerpta (6, 29: 226—227) docent mythographos atque Alexandrae auctorem unum sonare: *Μενέλαος δὲ . . . . πλανώμενος ἀνά τε Λιβύην καὶ Φοινίκην καὶ Κύπρον καὶ Αἴγυπτον* . . . . Alteram partem e fabulis quas Timaeus tradidisset compositam esse C. O. Müller (Etr. I 223. 280), Günther (47 sq., 57, 63), Geffcken (13. 3, 23 sq., 53) ostenderunt. Versus 850 et 851 transitum faciunt: fonte opus non fuit. Attributa quae insunt in prooemio (v. 115 sq. argumenti gratia) ad fabulam Stesichoream sive Euripideam spectant. Excerptorum auctores (6, 30): *καὶ κατά τινας εὑρίσκεται παρὰ Πρωτεῖ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ Ἑλένη, μέχρι τότε εἴδωλον ἐκ νεφῶν ἐσχηκότος τοῦ Μενελάου.*

V. sequentibus 877—908 Cassandra vaticinatur, quae Guneus et Prothous et Eurypylus Thessalorum duces sint passuri. Num horum fata in navium catalogo (B 734. 756 sq.) enumeratorum exposita fuerint in Nostis, nemo est qui sciat. Sed mea sententia dubitari non potest quin fabulae a Lycophrone hoc loco narratae Libycae tantum regionis propriae sint. Eurypyli fabula recentissima et vere Libyca est: qua enim in regione Eurypylus Triton ille Libycus (Apollon. Rh. IV 1551. Pind. Pyth. IV 33. Acesander FHG IV 285) atque Eurypylus Homericus ille dux (*B* 734. *E* 76. *Z* 36. *Λ* 575) in unum potuerunt coalescere nisi in Libya? Quod Thessali in Libya colonias condiderunt. Prothous non ad scopulos Caphareos eliditur, sed ad Libycos. Non ventis in mari Aegaeo saevientibus Thessali exstinguuntur, sed in litore Libyco. — Iamiam animum attendas ad fabulas iniectas quae haud dubie etiam in Libyca regione ortae sunt. Si Diodori libri quarti caput 56 legeris, cognosces poetam versum 885 sq. scribentem non sequi Timaeum. Singulis rebus Herodotus

quoque abhorret a Lycophrone (compares *χρυσοῦ κρατῆρα* v. 888 cum *τρίποδα χάλκεον* IV 179). Contra constat Acesandrum de Tritone disseruisse (schol. ad Ap. Rhod. IV 1552). Accedit quod et Apollonius qui Tritonem memorat (IV 1549) et Callimachus libro usus est qui praecipue attinuit ad res Cyrenaicas (Knaack PW Apollonios II 131). — Quae cum ita sint, Geffekenio Lycophronem ne principale quidem argumentum e Timaei opere hausisse rato assentior; equidem vero suspicor praesertim cum Eurypylus in compluribus Acesandri fragmentis (FHG IV 285: 3. 4. 5) reperiatur, et argumentum principale et inserta ex libro quo Cyrenaica tradita essent in compendium mythologicum manavisse. Etiamsi has fabulas excerptorum auctores omiserunt, tamen e Tzetzae adnotatione apparet bibliothecam fabulas de Guneo Prothooque praebuisse. Praeterea Tzetzes in epitoma (6,15: 218): *Ὅτι πλανηθέντες Ἕλληνες ἄλλοι ἀλλαχοῦ κατάραντες κατοικοῦσιν, οἱ μὲν εἰς Λιβύην* ac diligentius fragm. Sabb. auctor: *Γουνεὺς μὲν εἰς Λιβύην.*[57])

Versibus 910—1010 quibus errores Italici exponuntur videlicet Timaeus subest auctor principalis. Ad singula argumenta conferas:

versuum 911—929	Günther 49—52, Geffeken 3.18.	
930—950	„ 51, „ 18.	
951—977	„ 26.	
978—992	Klausen 447, 467, 579; Günther 53, Geffcken 15.	
993—1010	„ 60, „ 20—21.	

Tamen hoc loco adiciam in bibliothecae excerptis haec relationis Lycophroneae simillima reperiri notata: *Φιλοκτήτης δὲ ἐξώσθη εἰς Ἰταλίαν πρὸς Καμπανοὺς καὶ πολεμήσας Λευκανοὺς πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου Κρίμισσαν κατοικεῖ · καὶ πανθεὶς τῆς ἄλης Ἀλαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν κτίζει, ᾧ καὶ τὸ τόξον αὐτοῦ ἀνέθηκεν ὥς φησιν Εὐφορίων* (T ad 911: 6,15 b — 220: Wagner E 286) atque illa universe dicta: *Ὅτι πλανηθέντες Ἕλληνες ἄλλος ἀλλαχοῦ κατάραντες κατοικοῦσιν, ... οἱ δὲ εἰς Ἰταλίαν, εἰς Σικελίαν ἕτεροι* (vide v. 951!) . . . Praeterea ad inserta (v. 962 sq.) conferas quae Tzetzes e bibliotheca ad v. 921 adnotavit (6.15 c — 220). — In v. 993—1007 argumentum Lycophro cycli Troiani fabulam iniecit quae ad Cletae Penthesileae memoriam ($ss^{3}s^{6}$ ad 997) adnexa est: Thersites ille taeterrimus postquam Penthesileae animam efflantis oculum extremo tempore icerit hasta cruentata percutietur.[57]) Haec forma in Aethiopide exposita fuit: P 241, fragm. 1 K., schol. vict. ad Ω 804: altera exstitit vulgaris forma (schol. ad Soph. Philoct. 445: *διὸ ὀργισθεὶς ὁ Ἀχιλλεὺς κονδύλοις*

αὐτὸν ἀνεῖλεν, T ad 999: *κατ' ἐμὲ δὲ καὶ τοὺς λοιποὺς κονδύλῳ ἤτοι γρόνθῳ μηδὲ διὰ τὸ ἐξορύξαι τοὺς ὀφθαλμούς*, Quint. Smyrn. I 475 sq.) quam pendere e tragoedia (fortasse e Chaeremonis fabula quae *Ἀχιλλεὺς Θερσιτοκτόνος* nominatur v. Welckerum GT III 1086: Stob. Ecl. I 7, 1) veri simile est. Eadem vero atque Lycophro qui his disertis planisque vocibus utitur: *τρέφηκι φοινίῳ τετμημένῳ*, Tzetzes in epitoma refert: *εἶθ' ὕστερον θνήσκει ὑπὸ Ἀχιλλέως ὅστις μετὰ θάνατον ἐρασθεὶς τῆς Ἀμαζόνος κτείνει Θερσίτην λοιδοροῦντα αὐτόν* (202).

Sequentes quoque narrationes e Timaei opere hausit: v. ad v. 1011—1026 Günther 61, Geffcken 10, ad v. 1027—1033 Günther 64, Geffcken 28.

In v. 1034—1046 poeta de Elephenoris fato egit. Longe alia est antiqua fabulae forma: Elephenor ab Agenore interficitur teste Homero (*Δ* 464 sq.). Quam ob rem veri simile est fabulas a Lycophrone de Elephenore et Abante traditas a Nostis quoque abhorrere: immo vero fuerunt propriae Euboicorum (PW I 13; Hiller v. Gärtringen PW V 2, 2326). Quod Geffcken (Herm. 26, 33 sq.) Lycophronem Chalcidensem suspicatus est hoc loco suae tragoediae quae Elephenor appellatur (Welcker GT III 1256) argumentum rettulisse, haec nunc teneri nequeunt, postquam non illum sed alterum quendam Lycophonem minorem aetate Alexandram composuisse evictum est. Itaque crediderim illas fabulas e libro cuius auctor praecipue Euboicis rebus studeret, defluxisse in compendium mythologicum. In bibliothecae excerptis quidem de Elephenoris comitum fato (6,15 b :220) refertur, sed illae fabulae a Lycophrone narratae nobis noniam servatae sunt.

Sequentibus poeta redit ad Timaeum: vide ad v. 1047—1066 Klausen 579, 1180 sq.; Müllenhoff Alt. I 434; Günther 35—37, Geffcken 5, 9, 74. — Aliam de considente Podalirio fabulam Tzetzes in epitoma (6, 18 : 221; T ad 1047, Wagner E 290) tradit. — Ad v. 1067—1082, 1083—1086 cf. Günther 66 sq., Geffcken 10, 21 sq., Wagner E 287.

Relationes quoque de Nauplii actione (1090—1098, 1214—1225 alienas fuisse a veteribus carminibus intelleges si qua ratione ac quo loco bibliothecae insertae fuerint, observaveris. Has esse recentes etiam e fabularum natura est in aperto. Cum fabulae exsisterent quibus Diomedes et Idomeneus colonias conderent, necessario fabulae erant fingendae quibus hi duces calamitate quadam commoti e patria iterum discederent. Quam ob rem harum auctores veterem Cly-

taemestrae fabulam imitati sunt. In illa fabula Mycenaea explicatum erat, cur casus accidissent: Aegisthus patris mortem ulcisci debuit, Clytaemnestra Iphigeniae immolatione irritata erat. Recentibus opus fuit iniuriarum auctore: quis magis idoneus fuit quam princeps Euboicus maris peritus Nauplius (ad haec Wagner E 263 sq. et Geffcken Herm. 26, 37 sq.)? Cum in his fabulis unus tantum iniuriarum auctor exstet Nauplius, hae perfectae mihi videntur esse in illius principis patria, in Euboea. Immo equidem suspicor compendiorum auctores illas fabulas ex eodem libro *Εὐβοικὰ* e quo Elephenoris fabulam sumpserint hausisse. Quas cunctas Tzetzes in epitoma fusius refert (6, 8: 217). Ad v. 1214 sq. imprimis haec conferas: ... *Ναύπλιος .... παρεσκεύασε τὰς τῶν Ἑλλήνων γυναῖκας μοιχευθῆναι, ... τὴν Ἰδομενέως Μήδαν ὑπὸ Λεύκου· ἣν καὶ ἀνεῖλε Λεῦκος ἅμα Κλεισιθύρᾳ τῇ θυγατρὶ ταύτης ἐν τῷ ναῷ προσφυγούσῃ, καὶ δέκα πόλεις ἀποσπάσας τῆς Κρήτης ἐτυράννησε καὶ μετὰ τὸν Τρωικὸν πόλεμον καὶ τὸν Ἰδομενέα κατάραντα τῇ Κρήτῃ ἐξήλασε.*

V. 1099—1122 Agamemnonis, Cassandrae, Clytaemestrae caedes praebent. Quae de his cyclicus poeta exposuerit, difficile est ad cognoscendum. Inania sunt haec Procliana: *ἔπειτα Ἀγαμέμνονος ὑπὸ Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας ἀναιρεθέντος ὑπ᾽ Ὀρέστου καὶ Πυλάδου τιμωρία* ..., plura Homerus tradit (δ 533 sq.): *αὐτὰρ ὁ* (sc. *Αἴγισθος*) *βῆ καλέων Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν, ἀεικέα μερμηρίζων. τὸν δ᾽ οὐκ εἰδότ᾽ ὄλεθρον ἀνήγαγε καὶ κατέπεφνεν δειπνίσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.*

Lycophro tragoediam Aeschyleam sequitur hanc formam epicae opponens: δ 534 *τὸν δ᾽ οὐκ εἰδότ᾽*; L. 1107 *λυπρὰν λεαίνης εἰσιδοῦσ οἰκουρίαν*. Singillatim conferas

v. Al.	cum Ag. v.
1099—1102	1381 sq.
1103—1105	1384 sq. 1127 sq. 1494 sq.
1106	1291, 1160
1107	808 sq., 974
1108—1117	1440 sq. 1260
1118	1445, 1314
1119	1160
1120—1121	1280 sq.; *ἐχίδνης*: 1232 sq.; Cho. 994
1122	1535 sq.

Singula verba ex Ag. v. 1093 sq., Cho. 491 sq., 524 sq. hausta sunt. Similes sententias v. Ag. 1159 et Eum. 633 sq. inveniuntur. — In excerptis quoque notissima forma tragica exponitur (6, 22 sq.:

223. Wagner E 294): Apollodorus igitur cum Lycophrone bene conspirat.

Ad Agamemnonis culti memoriam fabulae de Troianorum cultibus annexae sunt quas ad libros praecipue de regionum quarundam rebus agentes referri (velut fabula de Hectoris ossibus memoratur a Pausania — 9, 18. 5 — et Pepli auctore — app. epigr. anth. Pal. 9: de Pepli fontibus v. adn. 56), a Lycophrone vero ex illo compendio sumptas esse coniciam. Solam fabulam de Locrensibus qui ad expiandum Aiacis scelus per mille annos binas virgines Minervae mittere iussi fuerunt Tzetzes nobis in epitoma servavit (6. 20 sq.: 222). De Idomenei casibus supro disserui p. 44 sq. Versibus 1226—1280, quibus Aeneae error tractatur, principalis quidem Timaeus subest auctor: Günther 68 sq., Geffcken 40 sq., 73. 186: sed non est neglegendum Lycophronem ante etiam de Aeneae habitatione Macedonica brevissime referre. Postrema Alexandrae pars 1283—1460 cycli Troiani fabulis paene (1362 1373) vacua est quod ex rebus ipsis narratis affatim apparet.

§ 5.

Quid cunctae illae quas protuli quaestiones effecerint, iam supra (p. 26) praenuntiavimus: 1. Alexandrae argumentum principale et ex antiquissimis et e recentissimis fabulis conexis compositum est. Quod maxime ex ea parte elucet qua Ulixis errores tractantur (648—819): fabulae Homericae (648—687, 738—778, 789—792), regionis Italicae propriae (688—737, 805—811), maxime variae cyclicae (Parva Ilias: 779—785 cf. Walter 70 sq., Telegonia: 793 —797, Cypria: 815—819), Aetolicae (799—804) inter se hoc loco coniunctae sunt. 2. Totius argumenti vestigia in bibliothecae excerptis quorum altera pars haud dubie tredecim saeculis post quam Alexandrae poeta floruit descripta est (Wagner Mus. Rhen. 46, 408; Schwartz PW I 2875) facile persequi possumus. E quibus nobis concludendum est Alexandrae auctorem fonte principali usum esse compendio mythologico, ut ita dicam, ‚cyclo Troiano', quo omnes fabulae et antiquae et recentes quae spectarent ad bellum Troianum e carminibus operibusque haustae coacervatae fuerunt. Ac non magis compendii illius auctor carmina cyclica pervolvit quam recentiora poemata epica, tragoedias, libros

qui ad quasdam regiones attinuerunt. Errores quoque ad occidentem nullo modo neglexit (adn. 58).

At praeter haec illis quaestionibus nonnulla quoque mira in lucem sunt protracta.

E narrandi ratione in paragrapho tertia inquisita cognoviamus poetam mox uberrima argumenta multis ac parvulis rebus eleganter ornatas praebere, mox res prodendas brevissime notare. Haec fontium indicia putavimus: uberes narrationes referri ad carmina ipsa, notata vero ad solutae orationis opera suspicati sumus. Ac profecto unum tantum uberrimum argumentum principale (373—397) exstat quod Lycophronem poetae cuidam ipsi debere probari non potest. Illis enim versibus singularum rerum plenis, de quibus Walter disseruit (249—306; 648—687, 738—778, 789—792), imitatur Homerum, fusissima de Agamemnonis casibus narratione (1099—1122) Aeschylum. Quae cum ita sint, quid est probabilius quam Alexandrae auctorem illos quoque versus 373—397 fingentem ipsum ex eo carmine hausisse quo Aiacis classisque interitus descriptus fuit, e Nostis?

At mirum in modum omnia haec uberrima argumenta in excerptis quoque in angustum coacta inveniuntur eaque eisdem cum fabulis coniuncta quibus in Lycophronis carmine. Velut fabulam de Aiacis exitio e Nostis haustam fabula de Thetidis misericordia ac de eius sepulcro Myconi sito et in Alexandra et in Apollodori excerptis sequitur. Quid? Post fabulas Homericas de Ulixe et Lycophro et Apollodorus fabulam cyclicam de eius morte et Aetolicam de eius cultu addunt. Quamquam igitur compendium mythologicum cuncta haec praebuit, apud poetas ipsos requisivit: e quo facile coniecerit quis in illo ‚cyclo' eorum nomina allata fuisse, qui singulas fabulas tradidissent.

Etiam alias ad carminis partes complendas opera ipsa poeta pervolvit. Velut verbotenus singulas res e Timaei opere geographico sumpsit, quod clare elucet ex his:

Lyc. Alex. v.	Strab. V 248.
688: *νῆσος . . . φλογμῷ ζέουσα*	*καὶ Τίμαιος δὲ περὶ τῶν Πιθηκουσσῶν φησὶν ὑπὸ τῶν παλαιῶν πολλὰ παραδοξολογεῖσθαι, μικρὸν δὲ πρὸ ἑαυτοῦ τὸν Ἐπωπέα λόφον ἐν μέσῃ τῇ νήσῳ τιναχθέντα ὑπὸ σεισμῶν ἀναβαλεῖν πῦρ κτλ.*
696: *Ἀχερουσίαν ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν*	V 243. *πλησίον δὲ τῆς Κύμης τὸ Μισηνὸν ἀκρωτήριον καὶ ἐν τῷ μεταξὺ Ἀχερουσία λίμνη, τῆς θαλάττης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης.*

704: λίμνη τ' Ἄορνος ἀμφιτορνωτὴ βρόχῳ

V 244. περικλείεται δ' Ἄορνος ὀφρύσιν ὀρθίαις ὑπερκειμέναις πανταχόθεν πλὴν τοῦ εἴσπλου, νῦν μὲν ἡμέρως ἐκπεπονημέναις πρότερον δὲ συνηρεφέσιν ἀγρίᾳ ὕλῃ μεγαλοδένδρῳ καὶ ἀβάτῳ, αἱ καταδεισιδαιμονίαι κατάσκιον ἐποίουν τὸν κόλπον.

(Ar.) mir. ausc. 102: ἡ προσαγορευομένη Ἄορνος . . . περικεῖσθαι γὰρ λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ, τὸ ὕψος οὐκ ἐλάσσους τριῶν σταδίων, καὶ αὐτὴν τῷ σχήματι κυκλοτερῆ, τὸ βάθος ἔχουσαν ἀνυπέρβλητον.

Etiam apud Philostephanum requisivit cui significationem *Σφήκεια* debet (ss^3s^4 ad 447). Cum Philostephanum extremam quoque partis Cypriae fabulam de Cepheo ac Praxandro exposuisse scholion ad 586 doceat, crediderim Lycophronem Philostephani nomen in compendio illi fabulae ascriptum invenisse atque argumenti complendi gratia eius opus pervolvisse. sed pauca tantum mythologica repperisse: illius enim partis narratio neque succum habet neque sanguinem. Itaque cogitur alia inserere. Versibus 450—467 Sophoclem imitatur. Quid? Fabularum adnexarum numero etiam nonnullae cycli Troiani fabulae habentur. Has quoque Lycophro videlicet ex illo compendio sumpsit quae e sequentibus facillime intelleges. Prima est haec ad Aethrae memoriam adnexa (503—511): Aethrae soli Dioscuri servitutis iugum imposuerant, quo Helenae raptum rependerent, omnibus ceteris non tactis. Quibus incolae stupebunt ac Dioscuri ad sidera ducentur.[59]) Athrae raptae fabula in Cypriis videtur exposita fuisse (Wentzel epithal. 22 sq.; Bethe PW Dioskuren 1120 § 22), sed unde ea quae v. 508—511 praebent in compendium defluxerint, nescio. Crediderit quis etiam secundum poetae epici testimonium Dioscuros omnia cetera non tetigisse ac Lycophronem ad illa cyclica voces *θάμβος ἐγχώροις μέγα* eo consilio addidisse, ut declararet, qua ex causa Dioscuri in Attica terra colerentur ἄνακε nomine. At tota fabula mihi videtur esse aetiologica. itaque eam plane abhorrere a Cypriis censeo. Geffcken (Herm. 26. 570) cogitavit de Euhemero: sed hic videtur paulo aliam rationem secutus esse (Lact. I. 7). De Aethrae raptu Tzetzes in epitoma (1, 23 : 181 : *Ὅτι Θησεὺς Πειρίθῳ συνθέμενος Διὸς θυγατέρας γαμῆσαι, ἑαυτῷ μὲν ἐκ Σπάρτης μετ' ἐκείνου ἥρπασεν Ἑλένην δωδεκαέτη οὖσαν . . . καὶ Διόσκουροι μὲν μετὰ Λακεδαιμονίων καὶ Ἀρκάδων εἷλον Ἀθήνας καὶ ἀπάγουσιν Ἑλένην καὶ μετὰ ταύτης Αἴθραν τὴν Πιτθέως αἰχμάλωτον· Δημοφῶν δὲ καὶ Ἀκάμας ἔφυγον.*

V. 512—537 inter Dioscurorum fabulas interiecti sunt tamquam transitus. Intexuit poeta Protesilai fabulam 528—534: Hector eum Graecum qui primus in terram insiliet interficere studebit.[60] Eius hasta primus Protesilaus audacter desiliens percutietur. Hanc quoque cyclicam fabulam P 241: etiam praesagium voce v. 532 *πάλαι* indicatum videtur e Cypriis manavisse: Wagner E 198. Türk RLM Protes. 3156 excerptorum auctores tradunt 3. 29 sq.: 197: *Ἀχιλλεῖ δὲ ἐπιστέλλει Θέτις πρώτῳ μὴ ἀποβῆναι τῶν νεῶν· τὸν γὰρ ἀποβάντα πρῶτον μέλλειν καὶ τελευτᾶν . . . πρῶτος τοίνυν ἀπέβη τῆς νεὼς Πρωτεσίλαος, καὶ κτείνας οὐκ ὀλίγους ἐφ' Ἕκτορος θνήσκει.*

Sequitur haec Dioscurorum fabula 538—566: postquam Dioscuri cum Apharidis Paridem domi receperint et Juppiter libamenta in epulis oblata renuerit, hic gravem rixam inter medios sermones excitabit. Ac primum quidem conviciis invicem irae pleni corripient, deinde Apharidae arma capient ut Leucippidibus nuptias vi coactas et cognatarum rapinam avertant quaestus donis nuptialibus vacui gratia. Idas ilicis atrae trunco cavo hasta percusso Castorem interficiet. Polydeuces ense Lyncei latera perrumpet et humi prosternet. Sepulcri Laconici statua missa Idas nova plaga Polydeucem aggredietur. Simul autem ferro ac fulgure ambo percutientur. Apharidas inferi, Dioscuros Olympus vice cotidiana semper excipiet, hospitem eosdem et mortuos et immortales.[61]) Hanc narrationem referri ad Cypria iam Wentzel epikl. 18 sq. et Bethe Dioskuren PW V 1, 1113 sq.) imprimis fragm. 5, 6, 7, 9 et Pindari Nem. X 116 nisi ostenderunt. Bethe quod secundum Lycophronis testimonium Lynceum cecidisse priusquam pugnantes sepulcrum adepti sint, ergo hac minima re Alexandrae auctorem a Pindaro abhorrere censet, poetae rationem neglegit: cum Lycophro v. 559 aoristi participium *πήλας* adhibeat, nullo modo constat, quando Idas statuam miserit: res est quolibet anteriore tempore facta (similia Walter observavit in v. 738). — Eadem fabulae forma in fragmentis Apollodoreis nobis servata est (III 11 2—6: 145/146).

V. 567—568 poeta a Dioscurorum ad Oenotroparum fabulas transit ad quas v. 584—585 pertinent tamquam epilogus. Inter duo argumenta principalia 569—576, 581—583 quae tempore longe distant nonnulla de Oenotroparum natura et munerum auctore interiecta sunt. Priorem narrationem (569—576) — immanem Graecorum nubem deus manu movebit, quos ne Anius quidem tranquillans tenebit et iubens eos per novem annos in insula esse mansuros et

dicens filias suas Oenotropas victum non vituperandum praebituras esse. *θεσφάτοις πεπεισμένους*[62]) — cyclicam esse Immisch e schol. ad 570 ss[3] (Mus. Rhen. 44. 302) contra Welckerum E C II 108 ostendit.[63]) alteram (581—583) — Oenotropae aliquando Rhoeteum venient et exercitus famem Graecorum explebunt[64] — Callimacheam Noack Herm. 28. 148 sq. (*αἴτιον*: Ainos: Serv. ad Aen. II 81. III 16). Cum secundum hanc fabulam non Ulixes Oenotropas arcessiverit (ergo ab hac separandum quod scholion ad ξ 164 praebet), sed Palamedes (cf. etiam Eiseleum R L M III 1. 800 contra Wentzelium disputantem), cogitaverit quis de extrema Cypriorum parte primo fonte (Welcker E C II, 129 sq., II 518).[65])

Contra eam formam quam poeta interiectis versibus 577—580 exponit — Bacchus Anii filias granorum molis contritorum artifices docuit vinum oleumque facere —, pendere e carmine cyclico veri simile non est, cum haec (*δαιδαλευτρίας, ῥίζαν, οἰνοτρόποι* recentior videatur esse quam qua illae sint *οἶνον* vel *οἴνῳ τρέφουσαι* (*Οἰνοτρόφοι* cf. Eiseleum R L M III 1. 801).

Cunctas vero has fabulas de Oenotropis in compendiis mythologicis narratas fuisse intelleges si comparaveris

ad fabulam Deliacam (569—576)	schol. ad 570
ad fabulam de Oenotroparum natura (577—580)	ep. 3, 10. quo loco nimirum altera forma nobis servata videtur esse (*Οἰνοτρόφοι, ἐκ γῆς ποιεῖν*)
ad metamorphoseos fabulam uno tantum verbo *φάβας* (580) indicatam (*ταῦτα* in v. 584 refertur ad v. 580—583, non ad metamorphosin, Holzinger obscure vertit: ihr Verhängnis)	Serv. Aen. III 80. Ov. Met. XIII 622 sq.
ad fabulam Rhoeteam	Serv. Aen. II 81, III 16; schol. ad 570.

Dubium igitur non est quin huic quoque loco (504—583) compendium mythologicum subsit fons principalis. Tamen aliquantum interest inter fabulas narratas. Quae poeta de Aethra rapta, Protesilao, Oenotropis affert, brevissime tantum notat; pugnam vero inter Dioscuros et Apharidas tam diligenter ac tot singulis rebus describit, ut conicere non dubitem Lycophronem haec Cypriis ipsis debere. Iamiam etiam observaveris, quantopere Jovis actio praedicetur (535—537. 538. 542. 543; ad haec v. Cypriorum fragm. 1 p. 20 K.).

Iis locis quibus poeta res tantum notat nonnumquam versuum

quorundam memoria Lycophronis animum subiit (tragicorum v. 323—324, fortasse Antimacheorum 245—248).[66])

Ex iis quae adhuc de componendi disponendique ratione ac fontibus disserui etiam verum Lycophronis ingenium apparuit: videmus poetam qui consilia sequitur artifice digna (§ 3), qui brevissimam viam ingreditur simplicissimo subsidio usus compendio scilicet mythologico (§ 4), qui tamen interdum ad ipsa carmina et epica et tragica descendit. poetam igitur si doctrinam spectas non cum Callimachis Apolloniis comparandum, attamen cum Ovidiis Statiis.

Adnotationes

[1]) An quisquam alia putat poetam esse usum dictione in v. 22 sq.:

αἱ δὲ παρθενοκτόνον Θέτιν
ἰουλόπεζοι θεῖνον εὐῶπες σπάθαις
πελαργοχρῶτες, αἱ Φαλακραῖαι κόραι

atque in v. 229 sq.:

Καὶ δὴ Παλαίμων δέρκεται βρεφοκτόνος
ζέουσαν αἰθυίαισι πλεκτανοστόλοις
γραῖαν ξύνευνον Ὠγένου Τιτηνίδα?

Hoc obscure dicendi genus videlicet totius poematis ‚genus' est. Similiter Theocritus totum carmen quod *Ἀδωνιάζουσαι* nominatur dorica illa miti dialecto scripsit quamquam altera mulier haud dubie non est dorica cf. v. 93.

[2]) Verba *Αἰακείοις χεροί* a primo licet intellegi Neoptolemum et Epeum (ss^3 s^4), fortasse etiam Teucrum (T), [Aiax Troiam non incendit]. Consulto L. ambigua usurpat. Sed cum ea collata sint quibus solis Troia deleri potest, eum ductum esse Neoptolemi memoria, ergo hunc in fonte repperisse notatum apparet.

[3]) *γρυνός* consulto ambigue dictum intellegi et navem (ss^3 s^5 T ad 86) et Paridem (ss^3 s^4 ad 86) licet. Haud dubie poeta Paridis significatione ductus est; cf. v. 913: *Κρίμισα φιτροῦ δέξεται μαίφορον.* Ergo comparatio quae inest in *ἐπτερωμένος* imprimis ad Paridis navium vela pertinet cuius simillima exstat in v. 1119: *θεύσω κατ᾽ ἴχνος ἠνεμωμένη πτέροις.* Ad *τρήρωνος* (palumbium cognomen Hom. E 778; X 140) *Πεφναίας κυνός* (Helena ss^3 s^4 ad 89) ea quae v. 88—89 continent adnexa sunt. Quid sit *τόργος*, patet e fragm. Callim. 204 = T ad 598: *῾Ράμφει καμψώδει τόργος ἔκοψε νέκυν.* Quaeritur, quis comparetur cum vulture. A primo putaverit quis Iovem (tertium aviditas praedae ac ratio rapide per intervalla movendi): poeta operam dat, ut falso illa fabulae forma Stesichori (RLM I_2 1929 sq.) notior — sed hoc loco nequaquam exposita — intellegatur, qua Helena Ledae et Iovis cygni filia sit. Sed etiam tertium comparationis licet iudicare pavorem ac difficultatem venandi esse, ergo voce *τόργος* significari Nemesin anserem feram. Hanc revera designari apparet e notatione vocis *ἐκλοχεύεται* quae certo cognoscitur e v. L. ipsius 322 et 468 et Eur. Ion. v. 1463 (Hel. 258; cf. etiam *λοχεύω* in H. h. Merc. 230). Holz. in com. ad v. 88 quod significatione vocis *(ἐκ-)λοχεύομαι* recte definita hunc

locum ex alio Alexandrae loco (in com. ad 143) interpretatus est, rationem L. componendi neglexit.

4) Vocibus Ἀχερουσία τρίβος καταιβάτις via in Laconicam significatur (ss³ ad 90; v. 1106, Rohde, Psyche 1894 I 198 sq.). Cum attributum πύγαργος particula οὐ verbis πατρὸς κόπρους στ. ῥ. βουστ. ὡς πρόσθε κτλ. opponatur, ei significatio raptoris subest (Paris comparatus cum aquila cf. Ag. 115 et T ad 91 haud dubie priore adnotatione usum). Ergo perperam Geffcken: δειλός Herm. 26, 568 et Holz.: μαχλός spectans ad Hom. Ω 25 sq. Loci 90—93 et 94—98 similiter constructi mire eadem fere praebent: poeta nihil videlicet iactat nisi verba ac nomina geographica. Vocibus ἔκτορσι πλημμυρίδος (non idem quod ἀγκύραι) similitudinem quae inest in ὀδόντας v. 100 (ancorae) poeta persequitur: ἔκτορες s καὶ φύλακές εἰσι τοῦ σάλου τῆς θαλάσσης ss³ s⁴ ad 100.

5) Verba τὴν ἄνυμφον πόρτιν ἁρπάσας δυοῖν πελειάδοιν ὠρφανισμένην γονῆς κτλ. attributum vocis λύκος sunt. Vocibus ὑπὲρ Σκανδείαν κτλ. L. nonnisi cursus directionem parum diligenter significare videtur; dubito an poeta e fonte veram harum insularum positionis speciem ceperit.

6) Hanc partem L. fabulis ad Protei (115—127) et Paridis (132—138) memoriam adnexis et interpretationibus (Γουνεὺς ὥσπερ 138) complet.

7) Ad Helenae quam suo more attributis notat (v. 143) memoriam L. quinque eius maritorum enumerationem addit fabulis eorum ex affinium propriis ornatam.

8) χὠ μὲν ad Paridem multo ante memoratum (T ad 180) ratione L. obscure dicendi (v. 786 ὃν ad ὁ λυμεών v. 781) refertur. Cum haec sequentibus οἱ δ' αὖ v. 183 opposita sint, non ἀνειρύσας — χερνίψουσι (CDET Scheer), sed ἀνειρύσας — χερνίψαντες scribendum est (cum Godofredo Hermanno in opusc. V 237 secundum AB*Π*s): utraque actio singulis itineribus in Troadem antecedit. Quae cum ita sint, ad χερνίψαντες pertinet necessario ἕξονται, ad ἕξονται autem loci definitionem τρίβον, ad τρίβον vocem inanem παλιμπόρευτον (bene Holz. v. 628 affert). Reiciendum igitur παλιμπόρευτος (AB*Π* Scheer). Cautissime ac cum artificio hoc loco poeta verba ita elegit, ut discrepantiam cum antecedentibus vitet; v. enim 180 aut hoc modo intellegere licet: Paris eadem via iterum vehitur — aut hoc: via qualibet retro (Troiam) vehitur. Ad οἱ δ' αὖ quoque v. 183 illud παλιμπόρευτον egregie quadrat: Graeci via reciproca vehuntur, ergo eodem spatio inter Troiam et Graeciam sito quo Paris vectus erat (Paridem in Laconicam vehi, Graecos autem Aulide navigare coepisse poeta neglexit). Hoc igitur loco haec premuntur: Paris tum demum Troiam perveniet cum Graecos excitaverit, Graeci autem tum demum cum Iphigeniam sacrificaverint. Ergo L. v. 183 expeditionem significat alteram; mirum in modum prioris descriptio inde a v. 202 sequitur. Similitudo quae inest in v. 181 hausta est ex Hom. *Π* 259 (Walter p. 65). Ad Iphigeniae (s ss³ ad 183) memoriam fabulae v. 185—199 adnexae sunt; sed solis iis quae v. 190 inde a τήν et 191 praebent narratio progreditur. Cum Tzetzes κεμάς v. 190 recte interpretetur voce ἔλαφος, Holz. ‚Reh' vertit in com. haec adnotans: ‚Iph. wird bei dem Opfer durch ein Reh (durch eine Hirschkuh Kyprien) ersetzt.' Apud priores scriptores haec vox nusquam invenitur nisi v. Hom. *K* 361 ex quo solum patet beluam ad venatus aptam illo verbo significari. Poetae Alexandrini for-

tasse illum Homeri locum interpretati denuo hoc usurpant: eadem vocis vis quae apud hos reperitur loco Lyc. est supponenda:

Callim. Ὕμνος εἰς Ἀρτ. 110 sq.:

Ἄρτεμι Παρθενίη, Τιτυοκτόνε, χρύσεα μέν τοι
ἔντεα καὶ ζώνη, χρύσεον δ' ἐζεύξαο δίφρον,
ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια, θέα, κεμάδεσσι χαλινά.

Apollon. Rhod. III 877 sq.:

χρυσείοις Λητωῒς ἐφ' ἅρμασιν ἑστηυῖα
ὠκείαις κεμάδεσσι διεξελάῃσι κολώνας.

Animal vero maxime sacrum Dianae cerva erat (Stoll Pauly Ἄρτεμις 1799). Cervae Dianae currum ducunt: ita in templo Phigaleo et in nummis ficta est (praetera cf. Paus. VII 18, 7 sq.).

9) Locus difficultatum plenus. οἱ δ' v. 202 = οἱ δ' αὖ 183: οἱ Ἕλληνες (ss^3 s^4 ad 200). Locus ad priorem expeditionem videtur esse referendus. Utrum L. v. 211 θυμάτων scribens ea sacrificia significet de quibus loquitur in v. 207—210 necne, primo non liquet. Nam θυμάτων χάριν interpretari licet ‚Opferdank' vel ‚Dank für Opfer'. Sed fabula mira quae exponitur v. 207 sq. ex Hom. ϑ 79 narratis videtur esse ficta, ut declararetur, qua ex causa Bacchus ipse Graecis contra Telephum auxiliaretur (aliter in schol. Α 59 A. ad quod cf. Wagnerum E p. 189). Quam ob rem θυμάτων intellegenda esse illa sacrificia Delphica veri simile est. Accedit quod ea quae verbis βωμὸν τοῦ προμάντιος κτλ. indicantur priori expeditioni antecedunt (Procl. p. 240, Apollod. ed. Wagner 1894 p. 192). Praeterea si locus referatur ad alteram expeditionem, in v. 209 pro κατάρξεται temporis perfecti formam exspectes. Sin locus referendus sit ad priorem, nos cognoscere non possimus quae vocibus Βάκχον τῶν πάροιθε πημάτων (Anius?) indicantur. τὸ δευτεροῦχον ζυγόν autem intellegatur non posterius ius iurandum Aulidense, sed prius quod L. alterum nominat spectans ad primum a procis Tyndareo datum ut turbet legentem. Quam ob rem ea quoque quae v. 180 sq. praebent huic loco antemiserit. Holz. quod voces ἀμφὶ βωμὸν κτλ. consulto poeta ita elegisse, ut ambiguae sint, iudicat, me habet assentientem.

10) V. 216 sq. alterius expeditionis descriptio progreditur. V. 219—228 interiectiones quae nullo modo ad narrationem principalem pertinent sequuntur. — Verbis Παλαίμων βρεφοκτόνος Tenedus insula (ss^3 s^4 ad 229), vocibus γραῖαν ξύνευνον Ὠγένου (pro Ὠκεάνου cf. Welckerum Griech. Gött. I 776) Τιδηνίδα Thetis (s^3 ad 231) notatur quam pro θάλασσα esse positam elucet e ζέουσαν αἰθυίαισι. — Quae sint διπλᾶ τέκνα, patet e fabulis v. 234—239 adnexis: Tenes et Hemi-(Leuco-)thea (ss^3 T ad 232 sq.). Sed cum fieri non possit, ut ambo simul μύλῳ κλεῖδας contingantur, falsum est πεφνόντα (V), scribendum cum Scaligero πεφνόντι, ut id quod v. 233 praebet attineat ad Cygnum. V. 232 mea quidem sententia ita est intellegendus, ut liberi simul cum (σύν) patre (in insula Tenedo) moriantur. Holz. poetam praepositionem σύν significatione, ‚und auch' usurpasse ita, ut temporis et loci diversitates non spectaret, eo tantum consilio videtur iudicare, ut huic loco Cypria fontem subicere liceat. Exempla quibus L. aut alii scriptores voces σύν illa vi utuntur non affert: quod σύν v. 240 eodem modo intellegit, haud dubie errat, cum Mnemonen simul cum Tenne mori e nomine ipso appareat. Quibus e rebus colligo secundum fontem qui huic loco subest Cygnum

Tenedi cecidisse, praesertim cum haec fabulae forma tradita sit: ss^3 s^1 ad 232. RLM Kyknos Engelmann. In v. 233 cum omnibus codicibus scribam *εὔαρχοι* (scil. *Ἀχιλλέως*) aptissimum ad loci sententiam. Quam significationem habeat *εὔαρχος*, patet e Phaniae fragm. (anth. gr. ed. Stadtmüller I 393) et Etym. Magn. *εὔαρχος* (quamquam hic Al. v. illo loco aliter intellegitur). Achilles Cygni occisione certaminum Troianorum bonum initium capit: Graecis hoc est laetum omen. Sed quid sit *εὐάρχῳ* hoc loco, non intellego. Nam Cygnus cum sauciari non posset, ictus non est *εὔαρχος*. Cygnum silice ictum lapsum interfectum esse veri simile non est. Tzetzes (*καὶ τοῦτο ψεύδεται ὁ Λ.* 232) ac viri docti videntur esse capti fabulae forma maxime vulgata Ovidiana (Met. XII 72). Immo si scribas *εὐάρχον*, eluceat elegantia Lycophronea: Achilles quamquam silicis ictu certaminis bonum initium non ponit, tamen *εὔαρχος* est nominandus, quod certamen Cygni occissione finitur. — Ad *οὖν τοῖς* 240 PT recte hoc: *οὖν τοῖς δὲ οὖν Κύκνῳ καὶ τοῖς ἐκείνου παισίν.*

11) *λοισθίαν*: perperam scholia: nam *τελευταῖος* (ss^3 ad 246) quadraret ad *λοίσθιος*, non quadrat ad *λοισθίαν*.

12) Cassandra quoniam ea enarravit quae pugnis ante Troiam factis antecedunt, in parte sequente describit quae affines sui proximi atque ipsa sint passuri (258—364). Ac primum quidem fratris carissimi mortem deflet Hectoris (258—270). Haec pars cum antecedente coniuncta est transitu (249—257) quo terrores Troiani in universum describantur ac pugnarum effectus pingantur.

13) Narratio similitudinibus insertis vehementissime turbata est. Primum Achilles cum aquila, Hector cum ave infirmiore confertur (ex Hom. X 139 sq.), deinde orbis ab Achille circa muros Iliacos descriptus cum currus orbita circum metam flexa (ex Hom. X 162 sp.), postremo Hector pedibus ad currus alligatus cum aratro.

14) Prior appendix: Hoc vaticinio inflammata Cassandra praedicit, quae sint futura eius corpori qui Hectorem occiderit Achillis: postquam ipse invicem aequipondium auri micantis in libram infuderit, in Bacchi amphora funeratus iacebit a Musis defletus (271—280). — Ad Achillis memoriam fabulae eius propriae additae sunt in v. 276—280. — Posterior appendix: Hectoris mortis vaticinio Cassandrae res ei gerendae in mentem veniunt (283—301). Ac primum facinus eius fortissimum ac maxime mirabile quod contra Graecos conficiet praedicit (283—297): Hector Graecos usque ad castra nautica repellet. Deinde ceteras res ei gerendas complectitur neque ullam accuratius describit. Perspicue haec carminis pars finitur v. 302—306 quibus vates ad Hectoris occisi deplorationem redit.

15) V. 307—308 Cassandra ad Troilum (ss^3 PpT ad 307) transit. Achilles animo a Troilo vincitur, Troilus corpore ab Achille. E quibus eleganter poeta gryphum petivit.

16) *ὧν* sc. *διπλῶν ἀηδόνων τὴν* = Laodica (s^1 PT ad 315) — non diligentius notata; fabula notior fuit quam ut legenti significatione opus esset. *στεναγμάτων ἄτην ἀγχίπουν*: malum est diutinum (cf. ad *στέναγμα* Oed. R. 5, Eur. Or. 1326, Heracl. 479). Quam locum poeta designet vocibus *ἅλμα πάππου*, in dubio est. *πάππον* nominare licuit Laomedontem (Serv. Verg. Aen. II 241), Ilum (*πάππος* unus ex maioribus cf. Alex. 364, 1226, 1341, Arist. Pol. 3, 2, Plat. Theaet. 175a, Dion. Hal. 1, 47; cf. Hom. Λ 115, Λ 166, Λ 372, Ω 349). Troem (de tumulo nil tra-

ditum, sed ss[3] ad 319). Verbis sequ. *χαμευνάδος μόροι κτλ.* L. veteribus ostendit de quo loco ac de cuius tumulo loqueretur, noniam nobis. Quae cum ita sint, scholiastae veteri (ss[3] ad 319) fidem habeo quem non sine causa Trois quidem tumulum memorare censeo.

17) Quam sororem Cassandra alloquatur voce *σέ* v. 323, non accuratius definitur, cum fabula sit notissima: *Πολυξένην* (ss[3] s[4] PT ad 323). *Ἴφιδος* obscurandi gratia ita scripsit, ut hoc verbo non significetur una ex Iphidibus, sed Iphigenia (T ad 324). *πρὸς νυμφεῖα καὶ γαμηλίους*: Polyxena Achilli mactatur, ut serva et concubina ei sit. V. sequ. tam pleni sunt elegantiarum Lycophronearum, ut vel nostris temporibus viri docti inter se dissentiant, ad utram referendum sit *ἥν* (326): Scaliger (Canter), Scheer (v. Förster, Herm. 18, 477), Holz. pronomen relativum ad *σέ* (Polyxenam) pertinere iudicant, Wilamowitz (Herm. 18, 255 sq.) ad *Ἴφιδος*. Scholiastae modo sic, modo sic interpretantur. — L. saepe verba ita ponit, ut ad id spectent quod longe abest (cf. 786, 180, 202). Si autem re vera pertineat ad *σέ*, magis operam dederit poeta, ut turbet legentem. — Sollertissime versuum 326—328 verba ita elegit, ut e nullo cognosci possit, ad utram referatur *ἥν*. *Ποιμανδρία* = *Τάναγρα* (Steph. Byz.). *Τάναγρα* = *Βοιωτία* (cf. 786 *Τεμμικία* = *Βοιωτία* Strab. VII 321), sed etiam *τάναγρα* vas rusticanum (Hesych. *ταναγρίς*, Poll. 10, 165). Haec est obscurior. *στεφηφόρον βοῦν* pro hostia: licet et Iphigeniam et Polyxenam intellegere. — *δεινὸς ἄρταμος δράκων* aut Agamemnon aut Neoptolemus. Wilamowitz quod e fragm. 42 (Bergk) Stesichoreo (*τᾷ δὲ δράκων ἐδόκησεν μολεῖν . . .*) conclusit L. voce *δράκων* usum loqui de Agamemnone, non spectavit ad poetae rationem: singula verba, imprimis ea quibus similitudines insunt e quibuslibet scriptoribus haurire solet; notatione tam obscura quam *δράκων*, cum exitum dilucide ostendere non possit, in errorem inducere studet. L. non e Stesichoro est interpretandus, sed e Lycophrone. — *τριπάτρῳ φασγάνῳ Κανδάονος*: scholiasta qui interpretatur *Κανδάων καὶ γὰρ Ὠρίων παρὰ Βοιωτοῖς* (ss[3] ad 328), non conatur locum e verbis ipsis intellegere, sed a fabula Iphigeniae orsus est (ad haec etiam Wilamowitz Herm. 18, 260; Ed. Meyer Gesch. d. Alt. II 193; Preller-Robert Griech. Myth. I 449). In Lycophronis fonte illum gladium hoc modo et diligentius fuisse significatum vix crediderim. Itaque agi de gladio tam praeclaro et incluto puto, ut ad eius memoriam suam doctrinam poeta afferre potuerit. Quam ob rem cum Holzingero Pelei gladium illis verbis notari iudico, ergo *ἄρταμον δράκοντα* esse Neoptolemum. Wilamowitz *Κανδάονος* pertinere ad *λύκοις* censet. Sed cognomine *Κανδάων* non omnibus locis neque sine apposito Mars significatur (cf. 938, 1410, ss[3] ad 328). Praeterea *Κανδάονος λύκοις* esset inane; *λύκοις* autem ex argumento sit natum neque enim poeta scripsit *τοῖς*. Evidenter vero declarat, utra sit *ἥν*, vocibus extremis *τὸ πρωτόσφακτον ἔσχιον* (Holz. ad 326—329). Iphigenia non est mactata, ergo prima Polyxena. Verbo igitur *λύκοι* Myrmidones (Hom. *Π* 156 sq.) notantur.

18) Iam Stephanus (IV 2131) recte *κύπας τις* traditum (V) in *κύπασσις* (sic etiam A) mutavit. 334 *ὅταν* cum coni aor.: Primum Hecuba (s[3] ad 334) canis speciem induit, deinde vestis lapidosa eam occultabit (dum lapidibus obruitur, canis speciem induit): ergo specie canis in saxum vertitur, non e lapidum acervo canis aquaticus vivus fulgentibus oculis prosilit (schol. Hec. 1261; T. ad L. 1176; Dio Chrys. 33, 411; Dict. 5, 16; Plaut. Men. 5, 1, 14; Cic. Tusc. 3, 26; Serv. ad

Aen. 3. 6). Cum loci sententia si legitur ἐπομβρίᾳ (A C D E H T) a quo ortam esse corruptelam ἐπομβρίαν (B) censeo eadem est atque si legitur ἐπομβρία (Steph.), malim hoc egregie traditum (s³). Cum χερμάδων non quadraret ad τις (κέπας τις V). ἐπομβρία in ἐπομβρίᾳ mutatum videtur esse. — Recte Wilamowitz (ind. lect. 1883 p. 7) mea sententia ἠρεθισμένον coniecit. Nam hac lectione concentus v. 331 et 332 finium tollitur. Accedit quod Wilamowitz eodem lenissimo modo mutat quo Canter (ἠρεθισμένη) solum traditum ἠρεθισμένην. Voces κοίλην et μαῖραν primis litteris et grandibus et minutis scribere licet: L. consulto ambigua elegit. — Etiam in φαιουρός am biguitas videtur inesse. Aut hoc verbum ducitur a φαιός (canis glaucus appellatur propter saxi colorem). Aut φαιουρός = λαμπουρός (φάος = λάμπος). Quod in alia fabulae forma ille canis ardentibus est oculis (cf. Eur. Hec. v. 1265), eadem subesse iudico: saxum tenebris fulgens factum esse aut ut Chersonesi tumulum maritimum (cf. Strab. VII 331) illustratum. — Δολόγκων: Thraces (Her. VI 34, 35, 40), non Graeci (T ad loc.: myth. lat. 3, 9, 8 Bode). Qua re inflammata Hecuba Thraces exsecrata sit, non liquet . ἐπεσβόλοις ἀραῖσιν ἠρεθισμένων: ergo in hac fabulae forma Polymestoris ultio defuit.

[19]) Jis quae ad Priami (s³ PT ad 335), capitis Troum, sortis relationem in v. 340 sq. addita sunt, qua ratione Graeci Troiam sint capturi, narratur. Ea quae de hoc vates canit particula δέ in duas partes sunt divisa: v. 340—343 Antenoris facinora praebent, v. 344—347 Sinonis. Ambigue poeta Jovem (s³ s⁴ T ad 335) Agamemnonem nominat. χέλυδρος: εἶδος ὄφεως s, χελώνη s³. Qua significatione L. hanc vocem adhibuerit, patet antiquiorum testimoniis deficientibus e locis poetae fere aequalis: Nic. Ther. 411 Κῆρα δέ τοι δρυΐναο πιφαύσκεο, τόν τε χέλυδρον ἐξέτεροι καλέουσιν. Nic. Ther. 414: Ὕδρον μιν καλέουσι, μετεξέτεροι δὲ χέλυδρον (ad hunc versum cf. schol.: ἔστι δὲ ὄφις ὁ δρυΐνας ὃς ἐν ἀενάῳ λίμνῃ διατρίβει ἐν δρυσὶν ἢ φηγοῖσιν). Ad quam vim aptum est attributum ὠμόθριξ: crinibus indomitis (Suid.: ὠμοχαίτης, Holz. ad loc.). Cum ὠμόθριξ facilis sit intellectu, non est quod cum Scheerio coniciatur οὐμόθριξ. χέλυδρος cum sit anguis, non testudo, refertur non ad aetatem (T et Konze) Antenoris (ss³ s⁴ ad 340), sed ad eius fallaciam contra Troes (praecipue contra Priamum imperii gratia? ss³s⁴ ad 340). ἀπεμπολητής: fructum fallaciae capiet, minimum clementiam ac libertatem. Si πυρσόν v. 340 intellegenda est cum Holzingero ea fax quam Antenor ducibus Graecis ex equo desilientibus affert, L. odiosus est. Sed animum attendas ad vocem βαρύν quam poeta saepe usurpat significatione 'feindselig' (1023, 543, 1439). Ergo nisi egregie fallor, πυρσός v. 340 ea fax est qua Graecis navibus avectis signum datur. Sed cum v. 345 Sinonem illud signum dedisse exponatur, aut locus ita est interpretandus: Antenor Sinoni prima face signum dat quam Graeci aut cernere aut ab aliis luminibus distinguere non possunt; Sinon autem in Achillis tumulo Graecis notissimo ignem immanem incendit (Apollod. p. 210) — aut (quod est veri multo similius) poeta hoc loco e duobus fontibus hausta leviter composuit. — Leucophrys v. 346 docte pro Tenedo (ss³ s⁴): παιδοβρῶτος Πόρκεως νήσους διπλᾶς Calydnae (ss³ ad 347).

[20]) Argumentum principale perspicue incohatur voce τῆμος, τόργος: Aiax (s ad 357); voce φάσσα praeda notatur. ἅρπαις οἰνάς consulto ambigue: L. quamquam οἰνάς usurpari significationibus falcis et vitis (ss³ s⁴ ad 357) non nescit, imprimis ad vim μαινάς (Opp. Cyn. IV 235 — G. Hermann op. V 239; Tro. 173)

spectat. — *Βουδείαν Αἴθυιαν Κόρην* docte pro Minervae nomine (PT ad 359). *οἰνάς = μαινάς* = vates (Ennius Alex. apud Cic. de divin. 1. 39. 85: Cassandra furens). Tristitiam mitigat lenitate verbi *γάμων* v. 360.

21) Quid poeta designet *τοὺς κενοὺς τάφους* scribens, apparet e versibus 370 sq.: Scopulis quibus naves fractae sunt elogia ab affinium lacrimis conspersa non sunt inscripta. Praeterea sepulcra corporibus impleta inania nominare non licet, certe non Lycophroni quidem diligentissime verba deligenti (329. 204). Ergo perperam ss³ ad 368: *οὐκ ἐν τοῖς τάφοις καὶ ταῖς ὀστοθήκαις κατὰ τὸ ἔθος τεθαμμένους, ἀλλ' ἐν ταῖς πέτραις . . . τοὺς κενοὺς . . .* Itaque cum Holzingero contra Scheerium censeo v. 367 corrupte esse traditum. Si coniecturas *ὀστοθήκαι* et *ἐφημένων* Holzingeri accipias, locus quidem sit facilis intellectu; at num L. perspicuitatem petit? Equidem hunc quoque versum poetam tam obscure scripsisse iudico, ut librarius quippe qui locum non intellegeret coniecturam faceret. Praeterea me nescire fateor, quid sit in lectione Holz. *δ'* v. 367. Quam ob rem malim una tantum littera omissa: *οὐκ ὀστοθήκαις χοιράδων ἐφημένους*. Si hoc scribas, primo dubitet quis, de quibus sepulcris poeta loquatur; v. demum 370 plane manifestum sit poetam spectare ad cenotaphia. — Versus sunt prooemium et eius partis qua classis et Aiacis interitus describitur (ad quod epilogus 1087—1089 respondet) et eius carminis partis qua errores Graecorum in terra externa sepultorum enarrantur (usque ad v. 1089: epilogus respondens 1087—1089).

22) Euboae litus ad orientem spectans docte in v. 373—376 saxorum nominibus notatur. Locus cum arte compositus (ter *ὅσων*). Dum (*ὅταν* cum coni. praes.) Nauplius lucet, audiunt: ergo illi ad scopulos aggesti non eo perierunt (*ἐκβεβρασμένων*!), quod facibus a recta via abducti sunt, sed aliis causis. Accedit quod si *ἐκβεβρασμένοι νεκροί* v. 377 ii essent qui Nauplii facibus abducti moriuntur, L. v. 381—382 iterum de iisdem loqueretur. Perperam igitur Bachmannus: res docet *νεκρούς* hoc loco non mortuos, sed moribundos esse; *νεκρῶν* gen. obi. Tempestate exstincti in Euboeam aggesti sunt (ad haec cf. Troad. v, 88—91: ad omnia inde a Mycono et Delo litora maris Aegaei ad orientem spectantia aggeruntur). Eorum interitum ii conspiciunt, qui facibus abducti in Euboeam perveniunt, quorum naves tempestate adhuc intactae sunt mox autem eliduntur. — Cum v. 379—380 perspicui sint, Scheeri vero lectione iterum idem describatur (*δειναῖς παλιρροίαισιν* = *ἕλκοντος σαλοῦ*), non est, cur mutetur. V. 381—382 exitus explicatur: naves et homines pereunt. Ergo v. 377—386 describitur qua ratione naves adhuc intactae frangantur in saxis Caphareis: 1. 376—377: naves intactae appelluntur — Graeci atrociter excutiuntur (*καρηβαροῦντας ἐκ μέθης*: Apollod. 216 *οἱ δὲ νομίσαντες εἶναι τινας τῶν σεσωσμένων*) 2. 379—380: naves vorticibus captae (*ἀνεκβάτου*) 3. 381—383: naves fractae. — *τηγάνοις* consulto ambigue: locus ridiculus fit. — *σίντης* v. 386: cognomen leonis et lupi (Hom. *Λ* 481, *Π* 353, *Υ* 165) et araneae (Nic. Ther. 715). Hoc notatur Nauplius (ss³ ad 386) quippe qui Graecos captare et perdere studeat.

23) *τὸν δ'* = *τὸν Λοκρὸν Αἴαντα* ss³ ad 387. *οἷα δύπτην κηρύλον*: similitudo crebro usurpata qua naufragi significantur cf. v. 749 sq. Hom. *μ* 418 sq. *ξ* 308 sq. Cum v. 387 sq. Aiacem nudum (*γυμνήτην* Antip. Sid. 80: VII 65 anth., Luc. Bacch. 3) fluctuare exponatur, iam ante eius navem tempestate

captum elisam esse ponendum est. — Quaeritur, ubi scopuli Gyraei quibus Aiax servatur sint siti. Eius sepulcrum prope Delum insulam (*ὄρτυξ πετρουμένη* 401 = *Δῆλος* ss³) est situm; *γείτων* autem Deli Myconus est (ss³ s⁶ ad 401). Eodem modo scholiasta (ss⁴) explicat: *Τρέμων δὲ ὀνομαστικῶς οὕτω καλεῖται χωρίον πρὸς τῇ Δήλῳ ἐν ᾧ ὁ Αἴας τέθαπται.* Erroris auctor Tzetzes est (ad 401, 387) Tremonem esse Deli locum ratus. Cum vero non sit quod illi veteri scholiastae diffidatur, Tremon Myconi locus est putandus (ergo haec vox hoc loco eodem ambiguo modo usurpatur quo *μνήμων* in v. 241). Cum Aiax aquilone pulsus per Teni et Myconi fretum a fluctu ad Myconum versus iactetur (ad haec ss³ s⁴ ad 389), colligendum est scopulos Gyraeos prope Myconum in freti fine esse sitos (sic etiam Wilamowitz H U 177, 26 ex Eur. Tro. 89 et schol. δ 500 = Hesych. *γυραί*). Sed cum scopulis Euboeis prope Caphareum promunturium sitis idem nomen sit (Quint. Smyrn. 14, 570), L. interitum classis Euboicum praenarrans legentem in errorem ducere studet. — Iam perspicuum est, qua ex causa poeta Aiacem *φάγρον* quidem nominet: piscem in Teni et Myconi freto versantem cf. Archestrati fragm. 35 Bussemaker poet. buc. et didact. — *κόκκυξ* v. 395 significatio ad Aiacem aptissima: *κόκκυξ* et homo desipiens qui vanis verbis gloriatur — *κομπάζοντα μαψαύρους στόβους* (Aristoph. Acharn. 598 cf. schol. ad hunc loc.) — et homo in libidinem furens cf. Plat. com. apud Ath. 2 p. 68. — Ad 394 cf. v. 754. *Νηραίας κάσις* v. 400 Thetis (ss³ ad 397).

24) V. 408—416 (qui et epilogus et transitus sunt) hoc novum thema: *οἱ δ᾽ ἐπὶ ξένης ξένοι πάντων ἔρημοι δεξιώσονται τάφους* ponere consilium est, ad quod vates exempla affert usque ad v. 1089. V. 411—415 poeta antecedentia breviter complectitur. Eversionis effectus describuntur: corporibus ceti vescentur, tota Graecia questibus implebitur. Ergo Holz. in com. de hoc loco (408 sq.) perperam.

25) Particula *γάρ* v. 417 ad illud thema delegatur. Eionis mentione L. occasio est data ad scientias gentium septentrionis afferendas. *πάγουρος* fortasse ex Aristoph. Equ. 606 haustum: maximus natu (ss³ s⁴ T ad 418).

26) Errores non enarrantur, ut taceam de communi errore. Qua ratione Graecorum duces hoc loco compositi perituri sint, non exponitur nisi de uno Calchante (ss³ s⁴ ad 425); alter et tertius affinium quorundam mentione ut Idomeneus (ss³ ad 431) et Sthenelus (s³ ad 433) definiuntur.

27) *Δοιοὶ Δηραίνου κύνες* Mopsus et Amphilochus (ss³ s⁴ ad 440). Quo loco certamen sit futurum, notatur vocibus 1) *ῥείθρων Πυράμου πρὸς ἐκβολαῖς* 2) *πύργων ὑπὸ πτέρναισι Παμφύλου κόρης. Παμφύλου κόρη* secundum Demetri testimonium Magarsus est, ergo turres Pamphyli filiae Magarsus oppidum (sic veteres scholiastae ad 444). Magarsus promunturium in tumulorum medio ponetur ita ut alterius sepulcrum in altera montis parte, alterius in altera ponatur: cum enim sepelientium consilium sit alterum alterius tumulum non cernere, Magarsus mons videlicet iam exstans in medio ponitur. Quam ob rem non est quod v. 442 Magarsum significari non posse censeatur (sic Bethe genethliac. Gott. 1887 p. 37). Fabula qua Melias Pamphyli filia fuit non exstitit. Nam si exstitisset, L. v. 442 tam dubia verba non usurpasset, ut legens eius aenigma solvere numquam posset. Ceterum audias Holz. contra Betheum in com. ad 442 sq. disputantem.

[28]) V. 451 Salamis docte notatur (ss³ s⁴ ad 451). Quid sit *συγγενὴς βλάβη* v. 453, patet ex his locis tragicis: Soph. El. 299 sq. de Aegistho:

τοιαῦθ᾽ ὑλακτεῖ, σὺν δ᾽ ἐποτρύνει πέλας
ὁ κλεινὸς αὐτῇ ταὐτὰ νυμφίος παρών,
ὁ πάντ᾽ ἄναλκις οὗτος, ἡ πᾶσα βλάβη,
ὁ σὺν γυναιξὶ τὰς μάχας ποιούμενος.

Philoct. 622 de Ulixe: *οἴμοι τάλας· ἦ κεῖνος, ἡ πᾶσα βλάβη,*
ἔμ᾽ ἐς Ἀχαιοὺς ὤμοσεν πείσας στελεῖν;

ergo totius calamitatis causa, merum malum. Perperam Holz.: Schimpf des Stammes. Itaque *συγγενεῖς* (verbum consulto ancipiter usurpatum) et Graecos et Troianos intellego. Poeta cum primi, secundi, tertii ducis nomina fabulis significet, quartum ac quintum nominatim appellat quippe qui non satis sint noti quam ut fabulis eorum propriis notare possit. — De Dioscurorum et Oenotroparum fabulis insertis infra adn. 59 sq.

[29]) Nequaquam error explicatur: poeta quoniam Diomedem Argyripporum conditorem esse prodidit, res ab illo in terra Daunia gestas quae memoratu dignae sunt affert.

[30]) 648—658 prooemium. Sollerter, prima specie fortuito L. v. 657—658 sociorum fatis reditum opponens ad Ulixem transit cuius sortem usque ad v. 819 uno tenore exponit.

[31]) Aut hoc loco poeta *πάντα* scribens levissima re a fonte Odyssea (Walter p. 16 sq.), ut calamitatem quam foedissime describeret, abhorruit aut cum v. 604 sit corruptus (Walter 18), hoc quoque verbum *πάντα* non recte est traditum. Fortasse est scribendum: *οἱ πανὶ θρανύξαντες ἐν τόρνῳ σκάφῃ* (cf. Bachm. ad 152). — V. 666—667 haud dubie nonnisi ornatus gratia inserit. V. sequentibus v. 667 illustratur: nam Charybdis Ulixi maius periculum est quam Scylla, Scylla quam Sirenes, Sirenes quam Circe. Harum fabulas non explanatas, tantum commemoratas L. permutato ordine affert (cf. *μ* 39, 85, 104, 166, 245, 430), ut simul (v. 673) fabulae Circeae expositione (apud Homerum Laestrygonum res sequentis ac rebus apud inferos gestis antecedentis) ad narrationem principalem redeat. Quae figura rhetorica (*ποία* 668, 669; *τίς* 670; *ποίαν* 673) usurpata velat. At non illa figura pellicitus — quod Walter censet — v. 666 sq. iniecit; interrumpendi causa continuam fabularum seriem interrupit, deinde demum illam figuram addidit.

[32]) Ad Sirenum sortis fabulam adnectens poeta enarrat quo iactatae sepultae sint, quibus locis colantur (717—729).

[33]) Egregie Walter p. 29: Cum participium *συγκατακλείσας* 738 coniunctum cum praedicato *συμφλεχθήσεται* 740 aoristo tempore poneret, res quolibet anteriore tempore factas hoc v. 738 enuntiare ei licuit.

[34]) Ulixes ut fluctuans notetur, in Glauci domicilio habitans appellatur; at Glauci ipsius nomen poeta velat vocibus *ἀστῷ Θρῃκίας Ἀνθηδόνος*.

[35]) V. 765—767 nihil exponitur nisi Neptuni iram non esse placatam, Ulixem noniam satis esse passum; v. igitur sunt rhetorici. Neque unquam L. has sententias inter se discrepantes in carmen intulisset, nisi eas in fonte invenisset: sed cum Homerus (*ν* 125 sq.) sibi ipse repugnare videretur, L. difficultatem in luce ponere non neglexit.

[36]) Vox *ὄστρακον* duplici significatione usurpata est (Walter 45). sed totus locus pendet ex Homero. Quam ob rem nobis est censendum primum poetae verbis Homericis *βοὸς πίδα* (v. 299) ducto vocem *ὀστοῖν* in mentem venisse ac deinde demum Lycophronem illius tabulae Aeschyleae memorem pro *ὀστοῖν ὄστρακον* posuisse. V. 779—785 ad verba *πληγαῖς ἐπαικιν* 778 exempli gratia tamquam appendix additi sunt. Quae facile cognosces particula *γάρ* v. 779. Pronomen relativum *ὅν* v. 786 L. ita posuit, ut legens *ὅν* referendum esse ad *πρόμον* existimet; de facto spectat ad *λιμόν* 781: ludibrio igitur legentem habere studet.

[37]) *λοῦσθον* ad *αἴθαρ θανεῖται* pertinet. Ceteris quae v. 789—792 praebent poeta antecedentia complectitur. E. *λαφυρίαν* passiva vi usurpato *θοίνας πρώριον* pendet, *πρὸς τῆς Λακαίνης αἰνοβακχεύτου* (= *Πηνελόπης* s² s³ ad 792) mea quidem sententia e *κιχών*. Vocibus *αἴθαρ* et *κόραξ* L. Ulixem notat pergrandem natu (cf. Holz. ad 794 contra Wilam. HU 193 diss.; cf. etiam *πάγουρον* 419). Cum iterum cedens iterum veterrimus nominetur, inter eius reditum et posteriorem profectionem longum intervallum esse iudico. *πέντιον* = *πόντου* gen. obi. Consulto ambigue: *σὺν ὅπλοις* (Holz. bene Hom. β 390 et Jon. v. 1292 adnotat), *Νηρίτων πέλας δρυμῶν* (poeta legenti et ad sequentia spectanti oppidum Acarnanicum in mentem vocare vult). Interpretetur quis L. si loqueretur de posteriore profectione, de hac accuratius narraturum esse ratus *πόντιον σκέπας* = *πόντου σκέπας* non esse portum, sed domum: e domo cum armis cedet, ut Telegono obsistat. At quid esset *κόραξ* quod quamquam voce *αἴθαρ* Ulixes iam veterrimus est nominatus, tamen ad *φυγών* est positum? Quam ob rem *πόντου σκέπας* intellego portum. *Σαρδωνικῆς* v. 796 docte additum. Animum attendas ad exponendi rationem: acies necabit. Filius parricida nominabitur. Quo fortasse illud Cassandra indicare vult, Ulixem esse moriturum *ἐξ ἁλός*, quam ob rem cautissime dicit *κληθήσεται*.

[38]) Ulixem colent Aetoli et Epirotes (ss³ s⁴ ad 799—800). Wilamowitz HU 189 poetam v. 805—806 scribentem spectare ad Macedonica iudicat. Tyrsenos non in illa terra domicilia instituisse Ed. Meyer (Forsch. z. a. G. I, 25, 1) ostendit. Ergo Gortynaea hoc loco memorata non est Macedonica. Sed nullo modo Wilamowitz explicat, quid sit Perge. Si vero illi versus referantur ad Italica, *Τυρσηνῶν* et *Γορτυναία* faciles sint intellectu atque in voce Perge insit loci aenigma. Quomodo sit solvendum, nescio; certe simili quo Holzinger (in com. ad 805). Si *Τυρσηνῶν* esset ambiguum, fieri non posset, ut huic loco una tantum sententia subesset, cum *Γορτυναία* quoque anceps esset. L. autem verba ita eligere solet, ut aenigmata, etiamsi interdum una tantum voce, dilucide solvi possint (Geffcken Herm. 26, 567). — V. 812—819 epilogus in quem fabula ex Antehomericis inserta est.

[39]) 820—824 prooemium, 825—849 errores in or., 852—876 errores in occ., 850—851 transitus. Poeta quod supra (115 sq.) Cassandram hoc praedicentem fecit, Helenam non Troiam esse venturam, sed a Proteo ablatum iri, hoc loco fingere cogitur Menelaum illam esse vestigaturum et a Proteo recepturum. Quam ob rem post Aegypti mentionem versus 850—851 inserit, initio Menelaum attributis *αἰνόλεκτρον κτλ.* notat, in v. 852 verbum *ἀλήτης* inicit, ut legenti inde demum errores initium capere persuadeat. In itinere et in or. et in occ. Menelaus nihil fere facit; v. 825—849 nonnisi terrae peregrinae fabulis earum pro-

priis notantur. In v. 825 quo errores in or. incohantur, *Τυφῶνος σκοπάς* esse Ciliciam, non Siciliam apparet e *πρῶτα* (v. demum 866 Menelaum Siciliam esse venturum vates praedicit). E verbis v. 828 *προβλῆτας ἀκτάς* colligat quispiam contra Hellanicum (ss^3 s^1 ad 827) Eremborum domicilia non fuisse prope Nili fluminis fontes. At terra obscura est: quis est qui oram illius terrae re vera esse planam sciverit?

40) *Ἄλλοι* v. 877 ad quod pronomen relativum *ὃν* v. 903 referendum est (eadem obscura ratione atque v. 786 *ὅν*, 326 *ἣν*, 180 *ὁ μέν*) iis quae v. 903—908 docte praebent ut Thessali definiuntur. Ad fabulam insertam sollerter vocibus *ἐν ᾗ* Gunei (ss^3 s^1), Prothoi (ss^1), Eurypyli (ss^3) perditorum fabula addita est: Polypoetem memoratum non repperi (contra Holz. p. 137 ad 905 sq.). Sed cum Guneus cum nautis Thessalis pereat et Guneus Prothousque Eurypylusque Thessalorum duces (Hom. *B* 734 sq., 748 sq., 756 sq.) sint, v. 877—908 de uno navium Thessalorum interitu exponi iudico. — Propter vaticinandum cum Scheerio (C D p T) scribendum *αἰάζουσιν* in v. 878.

41) Mirum in modum quamquam Timaeus de Thoantis sepulcro in Apulia sito videtur narrasse (Geffcken p. 10: Silius IX, 99: Varro?), secundum L. testimonium Nireus et Thoas postremo in Illyriam perveniunt. Ex quo aut communes horum errores in Illyria fuisse finitos aut L. hoc loco non Timaeum sequi, sed alium fontem aut poetam modo ac ratione haec facere est colligendum. Profecto obscurandi gratia poeta tantum erroris tradit. Cum enim errores regionibus fere disponere videatur, v. 1027 legenti primum voce *Μελίτην* Melita insula Illyrica in mentem venit; iis demum quae v. 1029 praebet Melita ut prope insulam Siciliam sita definitur. Similiter voce *Ὄθρωνον* v. 1027 legentem in falsum ducere studet, cum in v. 1034 verum oppidum Othronum memoret. Tantum abest, ut doctissimum poetam Melitas inter se confudisse indicem (Scheer Mus. Rhen. 34, 452), ut rationem Holzingerianam interpretandi (in com. ad 1042) probem. An Timaeum alteram Melitam pro altera vocasse putas? Fabulas aniles narrasse (cf. v. 633) invenitur, nomina inter se confudisse nusquam.

42) V. 1090—1093: novum thema partis 1090—1292. Duo exempla afferuntur: Agamemnonis (1099—1122) et Idomenei (1214—1225) fata. Uxorum adulteriis v. 1093 sq. unus auctor Nauplius subest. *ἐχῖνος*: Nauplius domum tamquam subruit. — His ducum Graecorum iniuriis Troianae gloriae fabulae opponuntur: Agamemnonis cultu memorato (1123—1125) vatis animus defertur ad eas venerationes quae ipsi in terra Daunia ac Troiana obvenient (1126—1140, 1141—1173) atque ad Hecubae matris et Hectoris cultus (1174—1188, 1189—1213). V. 1226—1280 narratio figura antithetica adnexa Aeneae fati et gloriae.

43) Nauplium huius quoque adulterii auctorem fuisse Lycophro nusquam dicit neque re vera ille est auctor (cf. p. 45). At poeta ut legentem in errorem ducat, v. 1094—1098 huic descriptioni anteponit et in v. 1115 sq. verba ita eligit, ut legens Nauplium falsis nuntiis eam irritasse opinetur.

44) Ita locum construo: *αἷς ξέναις ἐν ξένῃ ψάμμῳ ἀκτέριστος τάφος λυπρὸς* (praed.) (*ἐκ τοῦ = ὑπὸ τοῦ*) *κλύδωνος ἐκκλυσθήσεται* (cf. etiam s^3 P ad 1155).

45) Mea enim sententia *ἐξ ὀνειράτων* pertinet ad sequentia *ταῖς δεσποτείαις ὠλέναις ὠγκωμένον;* similiter Scaliger, aliter Holzinger.

46) *νήσοις μακάρων* v. 1204 ambigue. Suid.: *μακάρων νῆσοι ἡ ἀκρόπολις τῶν*

αἱ Βοιωτίῃ Θήβην ὤς Ἀγηνορίδας. Heroes vero piorum sedes habitant (Hes. Op. 170 sq.) — Itaque crediderim ὅπου referri ad νήσοις μακάρων, i. e. arcem Thebanam. Ut legens difficillimum aenigma solvere posset, poeta mea sententia ad ὅπου adiecit Καλύδνου τύρσιν Ἀόνων τε γῆν. Si cum Holzingero vertis wenn, ambiguitas intercidit. — V. 1210 et 1211 cum vix spectent ad casum historica fine comprobatum, a poeta non additi sunt nisi ornandi complendique causa.

47) Λύκον 1218 ambigue: cf. Holz. ad 1216.

48) et ῥώμη v. 1233 et νάπος v. 1244 consulto ambigue. V. 1240—41 Lycophro suo more terram tantum notat Etruscam (aliter Wörner RLM I 1. 175). 1253 Βορειγόνων: lepor Lycophronea (aliter Zielinski Xenien d. 41. Vers. d. Philol. dargebr. München 1891 p. 41 sq.). etiamsi minime metri causa poetam nomen mutasse crediderim (sic Cichorius) PW I 107). — 1254 ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' (V) corruptum. Quis sit hoc loco Lacius (sic Steph. Byz.), nescio. Sagaciter Holzinger una tantum littera mutata: ὑπὲρ Λατίνους Σαυνίους τ'. — 1256 ζειαῖς: argutiae vere Alexandrinae.

49) cf. S. Sudhaus, Mus. Rhen. 63, p. 481.

50) Ultimus Hensel (Weissagungen in der alex. Poesie diss. Giss. 1908) tragicum poetam defendit Alexandrae auctorem sententiae Holzingerianae (61) ab Haeberlino (W. f. cl. Philol. 1895, 48) satis reiectae annuens. Hensel hoc premit: ‚daß ein Werk von so eigenartigem Charakter nur in einer Zeit entstanden sein kann, in der viele Gedichte den Stempel gleicher Eigenart an sich tragen' (47). At Hensel ipse supra (in eadem pagina) dixit: ‚Alle Arten von Weissagungen, die wir vorhin in kleinen Gedichten gefunden haben, finden wir hier (in L. carm.) zusammengehäuft'. Ergo carminum vaticinorum genus Alexandra quidem perficitur: Lycophronis poema extremum est. Praeterea Hensel nonnulla mira communicat: p. 42 ‚Erst nachdem die Jungfrau 1400 Verse hindurch Vergangenes angedeutet . . .' p. 47 ‚Allerdings könnte nun noch merkwürdig erscheinen, warum Kassandra so vieles schon Vergangenes erzählt'. Quibus enimvero versibus Hensel tot res confectas invenerit indicatas, silentio tegit. p. 49: ‚Denn der Vollendung dieses Gedichts müssen doch lange mythologische Studien vorangegangen sein.' Hanc sententiam falsam esse e sequentibus (§ 4 et 5) cognosces.

51) Heinze Verg. ep. Technik 388. 1: ‚Man darf wohl annehmen, daß in zahlreichen Gedichten, die zum Lobpreis von Herrschern Taten ihrer Vorfahren berichteten, oder zum Lob von Städten ihre κτίσις, diese Technik (h. e. vaticinatio) ausgiebig benutzt wurde; ließ sich doch so die kräftigste Schmeichelei anbringen, ohne daß sie der Dichter in eigenem Namen auszusprechen brauchte'. Pro regibus in Lycophronis carmine Flamininus dux impositus est.

52) Quibus commotus Holzinger poetam memoriter omnia illa attulisse existimat. At Homerum verbotenus sequitur; Timaei opus certe in manibus tenuit (cf. § 5). Vide supra p. 9 sq.

53) Minime vero mea quidem sententia cum Foerstero (Herm. XVII 198) est iudicandum omnibus his locis Achillem vivum Polyxenam amasse indicari quae in Cypriis narrata fuerint (Herm. XVIII 477 Glauci Rhegini testimonio niso in schol. ad Eurip. Hec. 41). Polyxena sacrificatur; i. e. Achilli mortuo serva et coniux datur.

54) Sed quid Callimachus narraverit, quid Homerus, e scholio solo cognosci

nullo modo potest: *ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν Α αἰτίων καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ ἐν τῇ δ τῆς Ὀδυσσείας παχυμερῶς* N 66 A D; ad haec v. ss³ ad 1141: *ταύτης τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται* (contra Welckerum G T I 164 sq. et Wagnerum E 242 sq.).

[55]) Num Teucri fatum descriptum fuerit in Nostis, nullo pacto liquet (contra Welckerum G T I 191, 60), paulo subtilior fabulae forma fuit in Teucro Sophoclea exposita: *ὡς μὴ ἀμύνας Αἴαντι* v. T ad 450, schol. ad Aesch. Pers. 891 (Welcker G T I 194), schol. ad Pind. Nem. IV 76, Paus. I 28, 12.

[56]) Poeta cavet ne eo quod alio loco Nauplium Aegialeam in adulterium impulsisse (Apollod. 217) exponit, ipse secum pugnet.

[57]) Pepli distichorum auctor partim ea quae ad Alexandram quadrant partim quae aperte abhorrent a narratione Lycophronea tradit (Schneidewin Philol. I 34, 31). Assentior Pregero haec iudicanti (Abh. für Christ 57 sq.): ‚Wo der Peplograph, wie sehr oft, das Grab in der Heimat des Helden anführte, haben wir wohl periegetischen Einfluß anzunehmen.' Illa epigrammata fabulas in iis regionibus de ducibus narratas videntur praebere, quibus sepulcra et cenotaphia fuerunt sita.

[58]) Nobis igitur pro certo sumendum est illud compendium quo praecipue Apollodorus usus est iam tertio a. Chr. n. saeculo compositum, ergo multo antiquius fuisse quam viri docti adhuc putaverunt (cf. Bethe, quaest. Diod. 99). Ex his probabile est Ed. Schwartzium (PW V 1, 933) de Dionysio qui nominatur *ὁ κυκλογράφος*, etiamsi nullo argumento nisus est, tamen recte hoc coniecisse: ‚Die Abfassungszeit (sc. cycli) kann bis zum 2., vielleicht bis zum 3. Jh. hinaufgerückt werden.' Quodsi illud compendium et ille ‚cyclus' fuerit idem atque unus liber, certe Dionysius opus non scripserit, ut delectaret lectores, sed ut viris doctis usui esset.

[59]) *Ἀκταίων λύκοι* = Dioscuri ss³ s¹ ad 504. Ex quo Dioscuros secundum fabulam hoc loco narratam Atticam vastasse, ergo argumentum v. 503—507 repugnare v. 508—509 expositis minime colligendum est: neutiquam necesse est ullam rationem inter argumentum ac significationem intercedere.

[60]) Protesilai fabula iam v. 526—529 indicatur. Quam ob rem *πρῶτος ἀλάστωρ ποιμνίων* = *κίρκος Θούριος* 531 = Protesilaus (ss³ s⁶ ad 530). Una exstat similitudo: *κίρκος* (Prot.) est *ἀλάστωρ ποιμνίων*, ergo *ποίμνια* sunt Troiani. Electa voce poeta viros doctos in errorem duxit velut Geffckenium (Herm. 26, 569). Perperam etiam Holzinger *ποίμνια* esse Troianorum greges adhuc in litore quiete herbas depascentes ratus. Cum *ἀλάστωρ* Protesilaus sit, *μαιμῶν κτλ.* intellegendus est illius interfector Hector. Qui haud dubie notatur vocibus v. 526 sq. *τὸν Κανάστραιον κτλ.* (ss³ ad 526). Ergo *μαιμῶντα* attributum ad *γίγαντα* est et *καί* significatione ‚sogar wenn' usurpatur velut in Hom. I 655: *Ἕκτορα καὶ μεμαῶτα σχήσεσθαι ὀίω*, *τὸν* igitur pertinet ad *πρῶτον*, *οὐ* certo refertur ad Hectorem (contra Geffckenium).

[61]) Ad *καταρρακτῆρα* (T: *ὄρνεον ἀρπακτικόν*) cf. *λιγάργοι* 91. Vox *ἀπόθεστος* (540) aliis locis non invenitur nisi Hom. ρ 296: *δὴ τότε κεῖτ' ἀπόθεστος ἀποιχομένοιο ἄνακτος ἐν πολλῇ κόπρῳ* . . . Et in hunc et in Alexandrae locum significatio ‚verwünscht' apte convenit (sic Ameis-Hentze ad illum Hom. v., Wentzel epikl. 1890 V 19: immania); notationem e loco Homerico solo erutam in Lycophroneum inferre non licet (Pape: verachtet, Holzinger: böser Schimpf). *ἀπό-*

θιατα non Helenae raptum esse intellegendum, sed Dioscurorum fata, ergo vocibus *οἱ δεινά — μέλλοντες* solos Dioscuros, non Dioscuros et Menelaum notari e sequentibus hisque Proclianis (239) patet: *Ἀλέξανδρος ξενίζεται παρὰ τοῖς Τυνδαρίδαις καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Σπάρτῃ παρὰ Μενελάῳ.* Ea quae inde a v. 544 exponuntur Iovis actionis effectus sunt. 547—549: *ἀνεψιαῖς ὄρνισι χραισμῆσαι κτλ.* Dioscurorum consilium, rixae causa: *ἀλφῆς τῆς ἀεδνώτου δίκην* occasio ad iurgia excitanda. Narratio progreditur inde demum a v. 553; cum enim Pheraei in terra Messenia habitent, v. 550—552 narrata nullo modo ad argumentum principale pertinent; a poeta inserta solum videntur esse obscurandi et eruditionis ostendendae (*Κνηκῶν, Φηραίοις*) causa. L. legentem eo turbare studet quod *ὁ μὲν* 553 intellegendus est alter Apharidarum (Idas), *ὁ δὲ* 556 alter Dioscurorum (Polydeuces). Primo Dioscuri leonibus, Apharidae tauris (*βοός* 556, *κριός* 558) comparantur: sed poeta postquam alterius Dioscuri alteriusque Apharidae mortem enarravit, comparationem noniam persequitur (*ταύρους* 561). — Mea sententia dubitandum non est quin secundum fabulae formam hoc loco expositam Leucippides Apharidis non sponsae sint. Nam si sponsae essent, fieri non posset, ut Apharidae apud Dioscuros sponsarum raptores cenarent, (ita rectissime Wentzel epikl. 20; aliter Holzinger ad 546). Praeterea vix Lycophro sponsas notavisset voce *συγγόνων* (v. 548). — Postquam Apharidae verborum iurgia excitaverunt (544—545), Dioscuris agendum est. Sed cum Apharidae certaminis initium faciant, Lycophronem nobis est censendum nonnulla in fonte narrata omisisse. Iure Wentzel (epikl. 21) argumentum e scholio ss^3 ad 547 supplevit.

[62]) *θεσφάτοις πεπεισμένους* aut condicionali aut causali vi intellegere licet. Cum praesagia quibus Graeci adducti sunt ne Anii condicionem acciperent, non nota essent, viri docti interpretati sunt ‚quamquam'. Sed paucissima de hac fabula scimus. Si ratio condicionalis intercedat, Anii condicionem Graeci non accipiant summa insanaque pugnandi cupiditate tantum incensi; sin causalis, Graecorum sententia multo facilior sit ad intellegendum: Graeci oraculis in errorem ducantur. Accedit quod fabula exstitit qua Agamemno ante bellum Teuthranteum Delphis fuisset (Lyc. 207). *τὸν ἐννέωρον χρόνον*: ergo Calchas iam vaticinatus erat.

[63]) Cum Proclus de hac fabula taceat, quo Cypriorum loco narrata fuerit, non liquet. Viri docti inter se dissentiunt: Immisch totum Graecorum exercitum in priore expeditione Delum pervenisse, Wagner (E 183 sq.), ‚Menelaum et Ulixem ab itinere Cyprio redeuntes ad insulam Delum appulisse, ut etiam Oenotroparum inexhaustis opibus tanta expeditio adiuvaretur', censet. Quaeramus e testimoniis. 1. Gravissimo teste Apollodoro (*περὶ θεῶν* in glossa Et. M. *Ταυρόπολον*) constat utrumque Atridam Anii hospitem fuisse, ergo fabula exstitit qua Agamemno Delum veniret. Quae facta esse non possunt nisi in priore expeditione (aliud enim fuit alterius iter directum: P 240). 2. *τὴν ὁδὸν ᾗ δὴ μέλλεν ἐμοὶ κακὰ κήδε' ἔσεσθαι* (Hom. ζ 165) mea sententia solum licet notare viam in Troadem. Praeterea vix est putandum Ulixem in itinere Cyprio cum magno agmine (*πολὺς δέ μοι ἕσπετο λαός*: ζ 164) esse vectum. Sola haec fabulae forma ab Immischio ex his testimoniis rectissime restituta cuius Achillis lis quoque cum Ulixe propria est (Immisch 302) ad locum Lycophroneum quadrat. Quam si supponas illis Alexandrae versibus, verba *τὸν ἐννέωρον χρόνον* difficultatibus vacua sint; Wagneri autem explicatio (‚cum legati Delum ad-

venissent, Anius primus decem annos hoc bello consumptum iri eis praedixit'; cetera p. 185 inde a. l. 17) satis molesta est, ut eam esse falsam in aperto sit. Nihil Alexandrae loco de Menelao et Ulixe! Quid? Manifestum sit, qua vi usurpentur voces *θεσφάτοις πεπεισμένους*. Graecorum exercitum quibus Calchas Aulide de decenni belli spatio cecinit Anius iubet esse mansurum in insula Delo. Duces consiliantur: Ulixes prudens monet, ut Anii condicio accipiatur, Achilles pugnandi cupiditate incensus, ut statim in Troadem vehantur. Agamemno summus dux illa Achillis lite cum Ulixe ea quae Pythia vaticinata sit evasisse ratus Achilli assentit: Graeci illa oraculorum explanatione confisi avehuntur. Audias Immischium (302): ‚crediderim equidem Agamemnonem ob eam ipsam causam Anii hospitium repudiasse, quia procerum illo certamine suum quod habuit privatum Pythiae oraculum solutum affectumque opinatus est'. Ac profecto Pherecyde teste in statione Deliaca de Calchantis vaticinio et de belli exitu est disputatum (ss[3] s[4] ad 570). — Sed alia testimonia exstant. E loco enim Apollodoreo (190) et scholio ad ζ 164 in aperto est fabulae formam exstitisse qua Menelaus cum Ulixe ante bellum Teuthranteum in itinere Cyprio Delum veniret. Hanc autem vulgarem formam manavisse e Cypriis nulla re ostendi potest. Scholiasta illi loco Homerico quo haud dubie altera forma indicata est fabulam in compendiis expositam ascripsit, ut qua ex causa Homerus illa *πολὺς δέ μοι ἕσπετο λαός* adiceret explicaret (*λέγοι δ' ἂν πολὺν λαὸν οὐ τὸν ἴδιον στόλον, ἀλλὰ κτλ.*).

[64]) *Ὀθνείων κυνῶν*: Cassandra vaticinatur Troiana.

[65]) Si haec suspicio recta sit, cyclicam fabulam tractaverit Callimachus. Quae facta esse posse multi viri docti negant epigrammate illa (30 Schneider) nisi: *ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν*. Audias Wentzelium (Philol. 51,63): ‚die Kyprien, die als kykl. Epos für K. in Wegfall kommen . . .' At minimum his est concedendum non constare utrum Callimachus illis versibus spectet ad vulgarem dictionem an ad vulgares fabulas (Immisch Stud. für Lipsius 1894, 119). Equidem cum imprimis abominatum esse illam notarum fabularum tractandarum rationem qua Apollonii usi sunt censeo. Cogites de nostrorum temporum poetis: vulgaria oderunt, occulta petunt. Illa Oenotroparum fabula haud dubie raro adhibita ac multis ignota erat; qua ex causa Callimachus ab ea abhorreret? Et alio modo cum aliis rebus (ignotis) coniuncta ille Alexandrinus fabulam tractaverit quo quibusque poeta cyclicus.

[66]) Sicut versus quoque 1176 *Βριμὼ Τρίμορφος θήσεταί σ' ἐπωπίδα* hunc Alexandri Euripideae versum in memoriam vocat (fragm. inc. 126, Welcker (GT II 474) *Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔσῃ*, ac Spironi versus 1474 *σώζων παλαιὰν Βεβρύκων παγκληρίαν* hoc Callimacheum (hymn. *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος* 142) *καὶ Δαναῶν κλᾶρον ἅπαντα σάω* (Herm. 23, 199). Ad v. 365 verba *ἑνὸς δὲ λώβης* Holzinger bene Verg. Aen. I v. 41 (unius ob noxam) adnotavit.

Index locorum.

Index fabularum.

Vita auctoris

Natus sum Paulus Guilelmus Horstius Gasse patre Paulo matre Thecla e gente Bernhardt Dresdensis a. d. III Kal. Nov. anni proximi saeculi LXXXVI. Fidei adscriptus sum evangelicae. Pater carissimus praematura morte mihi ereptus est. Litterarum elementis per III annos imbutus puer IX annorum gymnasium regium Dresdense frequentare coepi quod tum Martino Wohlrab rectore florebat. Ibi egregios magistros nactus sum, e quibus imprimis Lange et Bochmann optime de me meriti sunt. Vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus, ut philologis, germanicis, historicis studiis operam darem, Lipsiam migravi. Docuerunt me docentve: de Bahder Barth Bethe Brahn Gregory R. Heinze Holz Jungmann Köster Lamprecht Lipsius Marx Sievers Studniczka Volkelt Wilcken Wundt. Proseminario philologo Immischio et Betheo moderantibus per quinque semestria interfui. Per annum adscriptus eram sodalis ordinarius seminario philologo auspiciis Lipsii, Bethei, Heinzei. In seminarium philosophicum benigne me recepit M. Heinze †, in paedagogicum Jungmann, in societatem mythologicam Bethe, in proseminaria germanica Köster et Sievers, in exercitationes papyrologicas Mitteis et Wilcken.

Quibus cunctis doctis viris nunc gratias ago quam maximas. Imprimis vero Betheum qui studiorum meorum fuit fautor benevolentissimus, ut hunc libellum conscriberem, mihi suasit, consilio benignissime adiuvit, grato animo colere non desinam.